






SPECVLVM INNOCENTIÆ



Vita B. Aloysij Gonzagæ Soc. Iesu
Anno ejus obitûs Sæculari
Iconibus et piis monitis illustrata Græc









SPECULUM INNOCENTIÆ,
SIVE
Vita Angelica
B. ALOYSII GONZAGÆ
SOC. JESU.


Iconibus, & Monitis ſpiritualibus ad piam Juventutis inſtitutionem accommodatis illuſtrata, & proborum imitationi, ac Beati hujus venerationi propoſita.

à

P. GABRIELE Heveneſi
Ejuſdem Societatis.

Editio Secunda.





Sumptibus Joannis Hermanni à Gelder Viduæ, & Hæredum, Bibliopolarum.

MONACHII.
Typis Mariæ Magdalenæ Rauchin, Viduæ, Anno M.DC.XCIX.




INGENUIS,

AC

Bonæ ſpei Adoleſcentibus, Pietatis, & bonarum litterarum STUDIOSIS.

Salutem, & Spiritûs Sancti gratiam.



Uòd Angeli hujus incarnati vitam Vobis potius inſcripſerim, Ingenui Adoleſcentes, *ab Aloyſio ipſo perſuaſus egi. Cujus Angelicos mores, & raræ Sanctitatis normam minùs efficaciter aliјs æmulanda proponerem, niſi primus ipſe aliquem in ejus imitatione conatum exhiberem. In ju-*

Juventute pijs monitis imbuenda totus erat Aloysius. Non solùm Fratres minores ad opera Pietatis, propositis etiam in devotionis præmium bellariis, hortabatur: sed & alios ditionis suæ parvulos, ubi ubi se offerret occasio, ad precum, & Sacramentorum assiduitatem stimulabat; nulla ei charior, quàm pia cum parvulis conversatio. Quæ innocentiæ in teneris animis fovendæ cura eum, præter alias, ut Societati J E S U nomen daret, causas impulit, quòd in ea teneram ætatem DEI timore, ac Divinorum amore imbuendi campum uberem sibi videret aperiri. Quam functionem ille tanti semper æstimavit, ut non nisi Beatos *compellaret illos, qui Juventuti litteris erudiendæ præfecti,*

egre-

egregiam iisdem ad omnigenam pietatem informandis operam navare possunt. Cujus vestigiis tantò libentiùs inhæreo, quantò justiùs me Vestri miseret lectissimi Juvenes, quoties gravissima, quibus expositi vivitis, pericula mentem subeunt. Heu quot, & quam sævi innocentiæ vestræ insidiantur hostes? & quomodo ætas invalida, periculorum incuria his resistet? nisi Ducem reperiat, qui & agenda, & fugienda improvidam edoceat. Ut, sine palo, infœcundus in terram palmes defluit: ut inhonorus absque olitore loliis inhorrescit hortus: ita sine tenerioris vitæ Magistro, jacebit, torpescet, imò depravabitur Juventus, tantò graviori damno, quantò minùs medicabili. Cui malo, heu nimiùm

mium frequenti, ut quoquomodo occurram, Aloysium Vobis, Ingenui Adolescentes *hic Ducem statuo; qui monitor Vobis sit ad meliora, & calcar & exemplum, imò speculum. Inspicite: ac secundum hoc mores, & affectus castigate. Stylo usus sum humili, quia parvis destinato, quorum aviditatem ut acuerem, icones adjunxi: nevè nihil præter novum typum, & ordinem adderem, vitam monitis auxi, quibus suos Aloysij moribus conformare discant, qui boni esse laborant. Vivite, sed pij & innocentes.*

Ita Vovet.

Salutis Vestræ amantissimus.

G.H.S.J.

PARS

B. Aloysius prodigiosè ope B. Virginis nascitur; prius baptizatus, quàm plenè natus.

Der *S. Aloysius* wierdt nicht ohne Wün=der dürch Hülff *Mariæ* ehendter getaüfft, als völlig gebohren.

A



P

B.



ra
ſit
R.
ro
ne
Sa
be
ſt
b
d
r
r
d



PARS PRIMA.

Vita Sæcularis.

Caput I.

B. ALOYSII
Prodigiosa Nativitas.

ANgeli nostri vitam tabulis commissuris inter plurimas ejus prærogativas ea occurrit prima, quæ laudum erat postrema, nempe Natalium celsitudo. Ferdinandum Gonzagam S. R. I. Principem, & Castilionis Stiverorum in Gallia Cisalpina Marchionem patrem; & Martham Tanam Santeniam è vetere Dynastarum Roboreorum sanguine matrem, tam stirpe quàm pietate clarissimos, habuit Aloysius. Vix esset materia laudis, à magnis prodijsse, nisi familiæ nobilitatem virtutum splendore geminâsset. Vera quippe laus nascendo non acquiritur; sed vivendo. An-

no 1568. quo B. Stanislaus Angelicæ in Societate JESU vitæ exemplar vivis excessit, innocentiæ speculum victurus Castilione 9. Martij, die Martis, natus est Aloysius. Ita Deus nunquam mundum sanctis destituit exemplis, modò sint, qui velint æmulari. Prodigiosæ, quam egit, vitæ plena prodigijs nativitas prælusit; imminente námque partu tantis mater occupatur doloribus, ut remedijs omnib⁹ frustrâ tentatis & prolis unâ, & ægræ matris funus certissimum Medici exspectarent: futurum indubiè, nisi ubi humana defecerunt auxilia, cœlestia ad fuissent. Vix enim pro sua, quâ in Deiparam singulari ferebatur, pietate, animata mater, si præsens discrimen evaderent, Lauretanam ædem cum prole adeundi votum concipit, adest in vota Virgo, depulsóque periculo, matrem morbo, Aloysium partu, utrúmque vitæ discrimine eximit. Adeò Mariæ priùs, quàm matris Tanæ filius, illi præ ista vitam debet Aloysius; quam

quam & reddidit, toto ætatis decurſu Beatiſſimam cœli Reginam ſpeciali amore ut filius matrem proſecutus. Amat nos Mater pulchræ dilectionis, priusquam eam amare ſciamus; juvat antè, quàm invocare poſſimus. Quot tu numeras accepta ab hac matre beneficia? plura ſunt, quàm tu cenſeas; innumera ſunt: & quid tu pro his rependis? niſi omni, quo vivis, momento Mariam diligas, ingratus es, qui nullo non momento ejus accipis beneficia. Et ubi amor in matrem, ubi gratitudo in patronam, ubi devotio in Dominam? non multùm eſt, quod à te exigo Parthenophile; niſi ingratiſſimus eſſe velis, nulla dehinc gratum prætervolet hora clientem, quin Matri Angelicum Filius oret Ave. Monitor horæ ſonus, exemplar tibi erit Aloyſius Mariæ filius; Imò gratiæ: utpote qui rarâ inter homines felicitate priùs ſanctus erat, quàm natus. Cùm enim Medici partum vitalem fore diffiderent, ut animæ ſaluti con-

ſuleret obſtetrix, provida priùs eum ſacro lavacro tingere occupat, quàm totus in lucem ederetur. Dein 20. Aprilis, in æde D. D. Nazarij & Celſi, baptiſmi ritibus initiatus, ab Avi paterni memoria Aloyſius, ſive Ludovicus dictus eſt. Non jam miror terrennorum contemptorem vixiſſe Aloyſium, qui cœlum priùs quàm terram intuitus, priùs Deo, quàm mundo cæpit vivere: vel ideo ſemper hilaris; etenim ſi unicum, quem poſt integram à nativitate horam, quam immotus ſine vitæ indicio egit, vagitum excipias, cœterà lamentis omnibus rarus infans temperavit.

Caput II.


Sancta B. Aloſij Educatio.

INter præclaras Marthæ matris dotes Princeps erat in Deum, & Cœlites pietas, eáque firmior eá, quàm mulierum teneritudo ſuadere ſolet. Conjugium à Ferdinando Marchione oblatum non priùs admiſit, quàm

gran-

B. Aloysius vix loqvi valens, jam â Matre Deum orare, B.V & Sanctos colere docetur.

Der *S. Aloysius* wierdt von seiner Frau Müeter in der Andacht gegen Gott, *Mariam*, und allen HH. unterwisen. 4



gra
nit
Ar
ho
po
ta
C
H
n
S
I
t
p
e
fi
fo
hi
fi
ni
ti
ti
co
pl
fo
eo
fti

grandi sacrificiorum numero SS. Trinitatis, Spiritus sancti, B. Virginis, Angelorum, aliorúmque Cœlitum honori curato, ac prævià Jubilæi tempore sacrâ exomologesi DEI voluntatem exploràsset. Quâ cognitâ Conc. Tridentini decreta, tum per Hispanias promulgata, primùm hoc matrimonio in mores induci cœpta. Sic aulicæ vitæ, quam apud Isabellam Philippi II. Catholici Regis consortem agebat, incommodis expedita plus pietati vacare cœpit. Omnis ejus oratio eò tendebat, ut à Deo filium obtineret, qui alicui Religiosorum cœtui se addiceret. Aloysium his precibus impetravit; vix natum signo S. Crucis munit, DEO, Virginique Matri, cujus favoribus acceptum ferebat, dedicat; ut innocentiam nullo unquam filius hic scelere contaminet, DEI benedictionem implorat. Præclara matrum de filijs sollicitudo, quando non de opibus eorum usui relinquendis, sed de Christiana educatione sunt sollicitæ. Vix

movere labra puer & prima cœpit verba balbutire, jam pia mater parvuli manum in formam crucis ducere, sanctissima JESU, & MARIÆ nomina crebrò vocare, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, aliásque preces è memoria repetere, divorum auxilia rogare instruebat; cœterísque, qui juxta eum servitij causâ versabantur, ut idem facerent, imperabat. Ita pietatem nactus est Aloysius nutricem. Quanquam monitore non eguit ejus indoles, jam ab utero matris ad omnem Sanctitatem nata. Necdum gressum puer figere potuit, jam domum perreptabat, ut in latebras oraturus se reconderet. Sæpe diu quæsitus, tandem in aliquo domûs angulo, vel inter lignorum struem, precibus intentus reperiebatur. Malè sperandum est de juvene, qui moneri, urgeri, compelli debet ad pietatem; si teneræ adhuc menti dissipit oratio, ejus palato devotio nunquam arridebit. Frequens, & devota precatio pri-

prima laus est probiùs educatæ juventutis; hoc lacte nutritur innocentia, quo destituta lachrymabili sæpè funere primâ spes omnis in herba interibit. Infantiâ hos inter pietatis igniculos transactâ, matris, nutricúmque gremio se expedivit Aloysius. Septennis cum Francisci Medicei magni Ducis Hetruriæ filijs, & moribus & liberalibus disciplinis, in vico, cui ab Angelis nomen, imbuendus Petrum Franciscum Turcium, virum, Prudentiæ, Probitatis, & Fidei multos jam annos expertæ moderatorem habuit. Salva propè res est, ubi probum juvenis nanciscitur præceptorem. Quod hortus sine olitore, ovis absque custode, navis absque gubernatore, hoc juventus absque moderatore; in scyllas invehet innocentiam, errabit in semita justitiæ, & vitiorum lolia germinabit. Nempe ut luxuriat sine cultore vitis, ita juvenis ubi oculum moderatoris effugit, perit. Eam vitæ suæ præfecto observantiam præstitit Aloysius,

ut testatus ille sit : nullum unquam imperium ab hoc fuisse præteritum. Eam egit pueritiam, ut nunquam puer fuisse visus, nihil tenera etiam in ætate leviter fecisse conspectus. Certa jam tum dabat prognostica, quis quantúsque futurus olim esset. Ut enim aurora diei, ita prima ætas venturæ indicium est. Quem primum aut lanæ colorem, aut odorem testæ bibunt, eum servant tenacissimè. Ita plus quàm dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Caput III.

Cultus S. Angeli Custodis, & hujus in B. Aloysium Beneficia.

TEner, quo ab infantia in Tutelarem Angelum ferebatur, affectus cum ætate in Aloysio sumpsit augmentum. Huic ter in dies singulos se commendare non contentus, ut ejus amorem in plures transfunderet, scriptum tibi ô Parthenophile reliquit documentum: *persvasum, inquit,*

S. Angelus Custos B. Aloysium ne rotâ tormenti abrueretur, uti et ab alijs periculis liberat.

Dürch beÿstandt des H. Schüz-Engls wirdt *Aloysius* aüß villen Lebens-gefahr erödtet.



quit, habe, perinde te Angeli ductum ſequi oportere, atquè cæcum quempiam, qui viarum diſcrimina ignorans ejus, qui baculo greſſum ipſius regit, providentiæ in omnibus confidit. Adultior dein prolixam de his ſpiritibus meditationem conſcripſit, plurium laude, typoque vulgatam. Nunquam fruſtra coluntur Cœlites, ſe noſtrâ pietate vinci minimè patiuntur. Nec ſuam Angelus curam ab Aloyſio deſiderari paſſus eſt, nec amorem: cultui rependit beneficia, dum pluribus clientem vitæ periculis exemit. Pauca ſint teſtimonio. Pater vir armis deditus, & ſub Rege Catholico plura belli ſtipendia meritus Aloyſium quóque (ut plerúmque parentes filios ſui ſequaces eſſe deſiderant) ijſdem artibus imbui volens, quartum necdum annum egreſſo ſclopulos, gladiolos, aliáque illius ætatis uſui accommodata ſuggerebat arma. Nec multò poſt in agro Cremonenſi delectum militum habiturus filiolum levi tectum thoraculâ, puſil-

ſillâ inſignem haſtulâ, ordines præire jubet; hic, ut eſt ætas illa rerum quas fieri videt mima, non diſplicebant parvulo, quæ gerebantur; donec immiſſo vitæ diſcrimine aliam ei DEUS mentem injeciſſet. Fuit etenim, cùm minorem fiſtulam ſoluturus pulveris vi & ardore vultum ſauciaret; ac aliàs, dum collecto è meridiantium militum thecis pulvere nullius adjutus ope tormentum currule oneráſſet, atque injecto igne ſolviſſet, parùm abfuit, quin retrocedentis carri rotis, ignis impetu repelli ſolitis, obtereretur, niſi clientis in tutelam vigil Angelus rotam ſtitiſſet. Quot non te quóque, Parthenophile, obruiſſent pericula? niſi ea Tutelaris genius avertiſſet. Quoties paſſu lubrico pedem comminuere, curru everſo; aut equo dejectus cervicem frangere, aquis hauriri, tegulæ lapſu interimi, aliiſque mille mortis generibus occumbere potuiſſes? niſi providus Angeli oculus te cautum defendiſſet. Et ubi reciproca in eum officia?

ficia? ſemper, & ubique tuam ſollicitus excubat in cuſtodiam, nec meretur quotidie memoriam? ſolvis famulum, quem conducis; muneri, quod accipis, gratias reddis; & quid Angelo tuo, qui his magè fidelis? hodie propone, & conſtanter exequere: dies habeatur inter perditos, quo non colueris Tutelarem. Semper ejus eges auxilio, eguit etiam Aloyſius, cujus Caſtillione Montem-Ferratum verſus amnem Ticinum, frequentibus per illos dies imbribus auctum, vado tranſituri vitam, rheda inter undas per medium rupta, & præterfluentis impetu procul abrepta, in aperto diſcrimine conſtituerat. Sed cura eſt Angelo de Angelis. Illius ope factum: ut illud rhedæ fruſtum, cui Aloyſius inſidebat, ab ingenti arboris trunco, quem vis undarum in flumen detulerat, ſuſtineretur; dum adeſſent, qui juvenem in ſicco reponerent. Hic aquæ, alibi flammæ eidem infeſtæ fuerunt. Ob ægritudinem lecto affixus cubabat,

bat, cùm ei, quotidianum precum suarum pensum necdum esse persolutum, venit in mentem; illicò ephebum citat, quem lumen (nox enim erat) afferre, ponè lectum ponere, atque abire jubet; ipse interea sumpto in manus libello dum preces absolvit, dolore capitis somnóque oppressus, candelam ardere sinit, quâ consumptâ lectum ignis corripit, jamque cortinas lecto prætensas, culcitrásque laneas depastus, proximum Aloysio fecisset periculum, nisi hic somno excitus, lecto desiliens se flammis eripuisset. Tot proinde casibus ereptus, D E I providentiæ in salutem suam excubantis curas agnoscens, in omni fortuna, & tam suis quàm Patris negotijs se D E I voluntati totum dedit; id unum obtestatus, ut quod optimum factu esset, annueret. Nec spes fefellit confidentem, fassus enim est: *nihil se unquam néque parvum, néque magnum â Deo petÿsse, quod non impetrâsset: nec ullum negotium, quamvis difficile, & ab aliis*

de-

Dæmon ex Energumenô futuræ B. Aloy:
sij tunc præsentis Sanctitatem prædicit.

Die grosse Heyligkeit deß S. Aloysij
wierdt von dem höllischen geist auß einem
besössenen vorgesagt. 9

desperatum, DEO se commendâsse, quod non ex animi sui sententia fuisset terminatum. Placet DEO confidentia nostra, in eo spem, non in homine loca, in hoc qui sperat, super arenam ædificat, arundini innititur. DEUM, fac, patronum habeas, & salva sunt omnia. Vis Deum propitium? facilè potes: innocentiæ is Patronus est. Conscientia bona tutum inter omnia pericula est asylum.

Caput IV.

B. Aloysius, adhuc puer, multa dat futuræ Sanctitatis Indicia.

NOn diu latent argumenta futuri. Prima Veris facies exhibet, sera quid allatura sit æstas. Ex Aloysij, etiamnum tenelli moribus, verbis, gestibus insolitæ alicujus sanctitatis indicia promanabant. Primus ejus conspectus, & facies ad decoram modestiam composita miram quandam spirabat pietatem. Fuit concionator,

qui asfereret: quoties animum suum inter dicendum uberiore pietate inflammare vellet. Toties in Aloysium concioni præsentem oculos deflexisse; atquè ejus, velut rei sacræ, aspectu ad fervorem permotum esse. Non defuêre alij, qui jurati affirmarent, solo se ejus amplexu tam intimo & sincero pietatis sensu affectos fuisse, quasi cælestem aliquem Angelum brachijs sustinerent. Perspicua in hanc rem sunt P. Claudij Fini Ord. Præd. Theo. Doct. verba. *Ab illo*, inquit, *propter singularis exempli sanctimoniam, quæ in ejus moribus, sermone, gestu, sententijs exsplendescebat, attonitus, atq; non nisi quadam jucunditate mentis, amore virtutis ardentior discedebam.* Tam erat amœna vultûs gratia, tam composita oculorum modestia, oris taciturnitas, in incessu maturitas, motuum omnium ad honestatis leges compositio. Quare ea passim apud omnes de hoc adolescente vigebat opinio: ut in ejus vita, & moribus non hominem, sed de-

delapſi è cœlo Angeli ſpeciem, ſibi viderentur intueri. Habet neſcio quid occultum hoſpita in tenello corpore virtus, quæ intuentium oculos unà, & amorem mirâ quâdam attrahit & captivat violentiâ. Innocentiæ hoc prœmium eſt, vix viſam ab omnibus diligi. Hanc ſibi Aloyſius æſtimationem bimus, adhuc puer, artibus comparavit. Primùm, quia pauperum egeſtate moveri ſe, ac ſicubi eos juvandi ſe afferret occaſio, promptum ſe cum hilaritate oſtendebat. Alterùm, quia totus orationi deditus precibus tempus omne dare velle videbatur. Non diu inhonora latet virtus, vel invita ſe prodit, vel proditur. Occultas parvuli Aloyſij dotes caſus aperuit. Erat, cùm Caſtilione Sacerdos è Franciſcanorum Ordine, quos Obſervantes vocant, vir cùm famâ Sanctitatis â dæmonibus obſeſſos exorciſmis juvare conaretùr: accedit in frequenti populo cum fratre germano etiam Aloyſius; dum repentè atri illi genij elatâ voce

eju-

ejulare, intentáque in Aloysium manu exclamare: *Videtis illum? hic demum est, quem cœlum, & magna inibi manet gloria.* Tenuit ea vox attentos spectatores, conversóque ab obsessis in Aloysium vultu, hunc observare cœperunt. Et meritò, licèt enim dæmon mendaciorum pater sæpe fallat, crediderant tamen eum hîc ad ostendendam Angeli hujus Sanctitatem ad ea dicenda vi divinâ fuisse compulsum. Hæc innocentis animæ prærogativa est: nihil dæmonem formidare; plus prodest ille bonis, quàm nocere possit; serviet ille profectui tuo, si tu ejus non servias suggestioni. Vitam age immaculatam. Et dæmonum insidias facilè deridebis; nihil illi virium habent in innocentes.



Noctu ad orandum ſurgere ſuetus B. Aloyſius ſæpè præ frigore et laſsitudine in terram labitur.

In Nächtlichen Gebett ſünckht der S: Aloyſius offt aüs Froſt ünd Schwacheit zü boden. M.

Caput V.

Orationis assiduitas, & amor rerum Spiritualium.

UBi septimum ætatis annum attigit, tanto ardore se totum DEO colendo addixit Aloysius, ut inter cœli beneficia hoc quóq; recenseret, quòd septennis â sæculi amore traductus esset. Fassus pariter est ejus vitæ arbiter Bellarminus, dein Cardinalis: eum â septimo ætatis anno vitam omnibus Sanctitatis numeris absolutam egisse. Tota ejus consolatio in oratione reposita videbatur; adeò crebrò modò in hoc, modò in illo domûs angulo genua flectebat ad precandum. Nevè in incertum ejus devotio vagaretur, statas sibi constituit preces. Ubi se mane strato expedivit, â signo S. Crucis diem exorsus, inter preces vestimenta sumebat, speciali verecundiâ cautus, ne ullam corporis sui partem nudam aut cubicularius eum vestiens conspiceret; indutus

dutus preces, quæ exercitium matutinum inscribuntur, flexis ante piam aliquam iconem genibus recitabat; ad hæc septem pœnitentiales Psalmos, Officium B. Virginis, adeò constanti pietate iterabat, ut eas nec ob infirmitatem lecto affixus unquam prætermitteret. Paulò adultior meditationis horam vocali orationi adijciebat. Si quando per oblivionem priùs lectò se intulisset, quàm statutum orationum pensum recitâsset, quod accidit rarissimè, memor, è lecto se proripuit, non priùs redux, quàm preces absolvisset. Festorum pervigilijs exercitium vespertinum cum examine conscientiæ peregisse non contentus, integras orationis horas somno præmittebat. Quin multâ nocte, clam suis omnibus, lecto se subducebat, & per noctis tenebras solo indusio opertus, in medio cubiculi, genua in nuda figebat humo, bonam noctis partem pietati suæ indulgens; quod cùm rigidâ etiam hyeme factitaret, sæpiùs evenit: ut præ
fri-

frigore toto corpore rigidus, mente quodammodo â sensibus abstractâ, corpus frigoris ferendi impotens, & genibus ultrò niti invalidum, ad nudum solum deflueret; ubi precibus adhuc intentus hærebat; adeò interea viribus destitutus, ut ne salivam quidem exspuere posset, sed resorbere cogeretur. Legis hæc Parthenophile adolescens? quæ tua pietas, quæ in surgendo verecundia, quis gustus in orando, quæ tua in oratione compositio? Aloysius princeps, & tenellus, nudâ humo figebat genua, nulli fulcro innixus: tu vel sedes, vel rusticâ pietate utróque scamnum cubito premis; ille supplices ante pectus manus decorè compositas elevabat: tu vel pallio obvolutus stupes, vel manibus manicâ, saccóve reconditis Sacerdotem divina lentè trahentem, aut musicam in longum ductam conquereris; ille nunquam oculos retrorsum, aut ad latera vagari passus, eos vel humi, vel pia in icone figebat; ubi oculi tui? nunquid

omnes templi angulos liberè circumvagantur; dic ubi tua orantis mens negotiatur, ubi peregrinantur cogitationes tuæ? eſtne in tota oratione tua vel minimum orationis? vis orare, vis pius eſſe, ac haberi? Aloyſium orantem aſpice: nec te pudeat, nec tœdeat eidem conformare. Ad lachrymas, quibus ille præ animi teneritudine frequenter diffluebat, te non cogo, utpote quæ gratia eſt â DEO data, id tamen tibi perſuadeas velim, tum te Sodalitatis Matri Virgini, tum Angelis in cœlo placiturum, ubi internâ externâque devotione preces fuderis. Aderit DEUS ſolatijs, ſi tu tibi non defueris. Præter longiores has etiam brevioribus, quas jaculatorias dicimus, precibus creberrimè utebatur Aloyſius; quarum frequentiâ obſervatâ familiares dictitabant, videri eum cum obvijs quibúſque parietibus ſermocinari velle. In ſingulis ſcalæ, per quos aſcendebat, gradibus Angelicam ſalutationem iterare eſt auditus. Rebus quibúſ-

búsque spiritualibus mirùm quantùm addictus, tempus quod alijs negotijs supererat, templo consecrabat. Missæ sacrificijs quotidie, festis verò diebus, ac Dominicis etiam Concioni auditor, & vespertinis precibus assiduus aderat comprecator. Eâ modestiâ, & pietate Sacerdoti minister assistebat, ut non juvenis: sed Angelus ministrare videretur: quo officio ut mirificè delectabatur ipse, ita & ab alijs minister expetebatur; utpote è cujus pietate suam accendi Mystæ sentiebant. A Religiosis rosaria, cereos Agnos DEI, imagines, aliáque dona spiritualia cupidè cum magno pietatis sensu accipiebat; sacras has divitias paternis opibus longè anteponens. Divorum res gestas à Surio, aliísque posterorum memoriæ typo relictas, libellum Gasparis Loartes de mysterijs rosarij, epistolas Indicas, similésque de pietate libellos avidissimus volvebat. Quidam ejus aulæ muneribus functi jurati negârunt se unquam ejus concla-

ve ſubintrâſſe, quin aut orationi, aut piæ lectioni intentum reperiſſent, ſæpius, priuſquam finem faceret, ſe præ foribus præſtolari debuiſſe. Et hæc altera ſalutaris pij juvenis occupatio eſt, hæc innocentiæ tutela, nempe ſpiritualis libelli frequens & attenta lectitatio. Per hos DEUS ad cor loquitur, & pia in eo ſuccendit deſideria. Quid ſi quotidie unum tibi è pio libello à conſcientiæ tuæ præſide aſſignato folium legere proponeres Parthenophile? ſi hoc nimiùm, nulla ſanè hebdomas, nulla ſine tali lectione Communionis dies, ut tranſeat, cura. Sicut hos tibi commendatos volo, ita libros leves, turpibus jocis plenos, cantus obſcœnos, Poëtas minùs caſtos, & quid quid impuritatem olet, omnino te volo angue canéque pejus averſari; perijt quisquis hæc legit; hæc, ſi ulla littera, certè occidit, hæc rapit innocentiam. Tales nunquam vel tetigit Aloyſius, quin & è profanis eorum ſolùm lectioni indulgebat,

qui

B. Aloysius novennis rem B.ª V. gratissimam facere volens Virginitatem vovet, quam tumulo intulit.

Der S. Aloysius gelobet zu ehr Mariæ der Jungfrauen die Ewige Jungfrawschafft. 14



qui de morum ad honestatem compositione scripserunt.

Caput VI.

B. Aloysius vovet perpetuam Virginitatem.

QUi singulari Deiparæ ope in ipso partu mortis periculum evasit Aloysius, totam ejus honori vitam voluit immolari; tanto in eam amore succensus, ut quoties vel obvius de illa sermo incideret, colliquescere præ gaudio videretur. Testis est Claudius Finus Ord. Præd. Th. Doc. cui fassus est ingenuè, singulari se à puero in Beatissimam Virginem pietate ferri, & vel solo ejus audito nomine sibi cor incredibili voluptate diffluere. Matris eam locò in omni vita complexus, eum se gessit, qui Mariæ filius esse mereretur. Nihil ego de tuo in Deiparam affectu dubito Parthenophile. Sodalis cùm sis, primas dubio procul sedes filialis in Mariam pietas in corde tuo occupaverit.

verit. Dubitarem sanè de tua salute, nisi ardentissimo in eam te amore ferri, imò rapi crederem; modò amor otiosus non sit. Non verbis illa, sed operibus, & virtutum suarum imitatione, vult amari. Habes exemplar in Aloysio, qui amorem practicum in Matrem sibi dilectissimam testaturus desiderio cor sensit accendi, gratum aliquid, acceptúmque cœlorum Reginæ offerendi. Dum sic ardet, ea menti ejus ab eo, qui casti est seminator consilij, immissa est cogitatio, nihil Mariæ chariùs, nihil acceptiùs præstari posse, quàm si ejus Virginitatis æmulandæ studio, & Immaculatæ Conceptionis honori: suam illi Virginitatem, quam hactenus illibatam servârat, perpetuam voto obligaret. Cogitatio hæc immissa cœlitùs assensum reperit in Aloysio, qui amore intemeratæ Virginis nihil non agere, & pati erat paratissimus. Igitur novennis Florentiæ, ante Virginis Annunciatæ iconem, amore ejusdem Virginis inflamma-

matus, integram se, inviolatámque Virginitatem perpetuò servaturum voto firmavit. Quid hîc complacentiæ, quid solatij in hac innocente victima habuisse Deiparam nobis persuadebimus? Si morum similitudo mater est amorum, quid pronius est cogitare, quàm quòd Virginum castissima primo castos amore prosequatur. Ita est: nihil Virginitate Mariæ chariùs, castos & amat, & sibi desponsat, imò lactat Maria. Puritas mentis & corporis, quò fuerit integrior, tantò certiùs ejus amorem promeretur. Tam diu te Parthenophile (Magna enim me hic tui cura tangit) à Sacratissima Virgine amari crede, quamdiu nullarum te sordium reum egerit conscientia; quo in turpia te immitis momento, eo Mariæ gratiâ excidis, & patrocinio destitueris. Nec author, imò nec consul tibi esse velim, ut perpetuæ Virginitatis voto te obstringas; si quo tamen Aloysij imitandi desiderio tangi te sentis, virtutíque tuæ fidis,

vitæ morúmque tuorum conſcium; per me licet, confeſſarium adi, pete: num devotionali Virginitatis voto ad breve, unius circiter menſis, ſpatium obligare te poſſis, quod elapſo menſis hujus intervallo extendi tibi rurſus, idque ſæpius facilè impetrabis. Plures novi hac arte innocentiam ab omni labe ſervâſſe illibatam, dum voti amoríſque Mariæ debiti memores vel umbram turpitudinis exhorreſcunt, ſicque parva fugientes initia, nunquam in ſordium profundum delabuntur. Aude aliquid Parthenophile: puritas tua theſaurus tuus eſt ſanè pretioſiſſimus, quem in vaſe heu nimiùm fragili, circumfers? offer Mariæ cuſtodiendum, ſed & tu ſtrenuè ad labora. Aloyſius certè ut votam Deiparæ Virginitatem ſervaret integram, in ſenſibus ſeverè moderandis totus fuit. Nihil ille ad aures niſi caſtigatum admittere, manus ad honeſti leges componere, oculos ita ſemper ab omnibus flagitij illecebris refrænare ſtuduit, ut vel ſeipſum

pſum intueri timens, nunquam ullam corporis ſui partem, ne tibiam quidem, nudam aſpiceret; mane nunquam ſolo induſio, ſed talari aut alio decenti veſtitu opertus extra lecti ſepta procedere auderet; adeò cubicularij veſtientis conſpectum erubeſcebat. A nullo ſe, ne vel ad manus, ne à matre quidem, tangi paſſus. Novit equidem, non diu integram ibi florere Virginitatem, ubi parva ſenſuum cuſtodia, ubi manus procaces, liberi oculi, patulæ ad obvia ſunt aures; hoſpitam ibi non quære innocentiam. Vel unico tactu flacceſcit lilium; vel halitu oris immundi ſpeculum inficitur: unus baſiliſci aſpectus ſufficit, ut occidat; his omnibus fragilior eſt Virginitas. Cautum petit illa cuſtodem.



Caput VII.

B. Aloysius frequentat Sacramentum Pœnitentiæ.

BOnæ mentis est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Adeò innocentem, labísque omnis expertem vitam ducebat Aloysius, ut quamlibet actionem suam studiosè excutere solitus, siquid in ea vitij comperisset, ejus radici penitus agnoscendæ, & exstirpandæ totus insisteret. Quod ut securiùs ageret, ubicúnque locorum eum morari contigerat, certum sibi è Societate JESU Sacerdotem in animæ suæ Patrem, & conscientiæ Directorem elegit: hunc intimo affectu, & filiali reverentiâ prosecutus, etiam extra destinata Confessioni tempora, frequens adibat; ei omnes conscientiæ suæ latebras, animi motus, & inclinationes candidissimè aperiens consulebat in dubijs; pia desideria, & mentis illustrationes, ne quæ dæmonis fraus irreperet, ex-

Tanto cum dolore Confessionem peragit B. Aloys. ut in deliquium laberetur.

Der S. Aloysius fahlet in der beicht aüß grösse der Reÿe in ein ohnmacht. 17

explicab
mortif
omnes
ſecret
quod
perſp
bat i
via ſp
tot 1
opus
docu
princ
deas
ſis l
aliq
tem
ctu
acc
tot
mi
las
ab
pe
A
i
I

explicabat; quin & bona opera, mortificationes, cogitationes deníq; omnes ita pandebat, ut nihil ei tam ſecretum, támque reconditum eſſet, quod huic animæ ſuæ Patri notum perſpectúmque eſſe non vellet. Sciebat is nempe, nullibi magis, quàm in via ſpirituali tot erroribus expoſita, tot ſepta difficultatibus perito duce opus eſſe. Idem tibi Parthenophile documentorum maximè ſalutarium princeps eſto. Ut tibi certò perſuadeas: plurimis graviſſimiſq; de cauſis longè utiliſſimum tibi eſſe: unum aliquem, virum pium, & prudentem, in animæ vitæquè tuæ Præfectum aſſumere, quem & frequens accedas; & ut Patrem ames, cui te totum ſincerè aperias, quem in animi moleſtijs & difficultatibus conſulas, â cujus nutu & conſilio, velut ab ore DEI, in omnibus ad ſalutem pertinentibus, pendeas; & ſic vel Aloyſius es, vel eris. O quot jacent in ſordibus, & pravis putreſcunt in habitibus, qui etiamnum integram

gauderent florere integritatem, si constanti usi confessario candidè cum illo, etiam recondita animæ negotia tractavissent, tentationes, occasiones, in tempore sincerè prodidissent. Si tamen tanta alicujus (de te enim Parthenophile meliora suppono) esset verecundia, ut sacrilegij ex confessione non integra periculum immineret, eat sanè quocúnque valet, tenebras quærat; satiùs enim est ignotas in aures peccatum evomere, quàm ut coram noto mutus animam suam damnationis periculo exponat. Sed sciat talis, exiguam in his aut fructûs aut emendationis spem elucere, maximè si depravati jam sint. Confessionem aditurus Angelus noster antè domi diu, multúmque meditatus, verba, cogitationes, & opera revocavit in examen, ac tantâ dein animi demissione sacrum pœnitentiæ tribunal accedebat, quasi mortales omnes scelerum multitudine superaret. Florentiæ animam de totius vitæ maculis purgaturus, tantâ dolentis animi

mi contritione peccata dicturus in genua procidit, ut deficiente ſimul animâ, præ doloris vehementia deliquium paſſus in terram laberetur; atquè à moderatore ſublevatus domum reduci deberet. Aliàs pariter confeſſionem, quam ſingulis hebdomadis minimùm ſemel obibat, tam præclaris pœnitentis animi ſignis, cujus indices erant lachrymæ, peragebat, ut non reus ad confeſſarium, ſed virtutum Magiſter acceſſiſſe videretur. Et quid innocentiſſima illa anima, quod gemeret, habebat? Si quam illa culpam ſuſtinebat, ea nullius erat facti, ſed omiſſi tantùm, ut ipſe ajebat, officij, ut pij, quod facere potuiſſet, operis; ſæpe nec eam adferebat materiam, quæ abſolutionem mereretur. Imitatorem te hìc vellem eſſe Parthenophile in frequenti, ſed ſincera, & doloroſa conſcientiæ exomologeſi. Quid enim ibi ſpei, ubi medicina ſalutis per negligentiam vertitur in venenum?

Caput VIII.

B. Aloyſius SS. Euchariſtiæ ſumptionem frequentat.


DUm magnum illud Eccleſiæ Mediolanenſis lumen D. Carolus Borromæus Apoſtolici Viſitatoris munere functus Caſtilione moraretur, Aloyſium, tunc duodennem, officij causâ ſe inviſentem incredibili ſuſcepit gaudio, non hominem, ſed è cœleſtibus mentibus Angelum aliquem ſe intueri ratus, adeò longos cum ſolo in conclavi ſermones miſcuit, ut magnam extra fores operientibus moverit admirationem. Et ut in pietatem tandem deſinunt piorum cum parvulis colloquia, ſciſcitatus ex eo eſt S. Cardinalis: *quæ, quîve ſpiritualia tractaret, quantum temporis orationi, quid Sanctorum cultui tribueret, num ſacram Synaxim adiret?* hanc cùm ille ſibi hactenus licuiſſe negaret, Carolus ejus Angelicâ integritate, & majori, quàm

ætas

B. Aloysius SS.am Eucharistiam primâ vice ē manibus Divi Caroli Borromæi accipit.

Der H. *Aloysius* empfahet das H. *Sacrament* des Altars zum ersten auß den hendē des H. *Caroli Borromæi.* 20





ætas ferret, prudentiâ cognitis author illi fuit, non modò ut alimento illo pietatis uteretur proximè, sed etiam ut innocentiæ tuendæ amuletum quàm ſæpiſſimè, quamquè devotiſſimè frequentaret, ſimul rationem SS. Euchariſtiæ cum fructu & pietate ſumendæ parvulum edocuit; diéque poſterâ Sanctus, Sancto, Sanctiſſimum Angelorum Panem porrexit. Quo hunc fervore, quâ pietatis intenſione ſumpſerit incarnatus hic Angelus, ex Magiſtri ſanctitate orbe toto celeberrimâ fas eſt intelligere. Multùm enim intereſt, â quo quis prima vitæ ſpiritualis documenta ſuſcipiat. Hujus pariter inſtitutione hebdomadariam illam colendæ SS. Euchariſtiæ methodum didiciſſe credi poteſt Aloyſius, dum præter cœtera pietatis officia hebdomadam, ultra quam impoſterum comunionem nunquam diſtulit, ita dividebat, ut feriam ſecundam agendis DEO Patri, tertiam Filio, quartam Spiritui Sancto gratijs impenderit; tres item po-

ſterio-

ſteriores ferias ijſdem SS. Trinitatis Perſonis ſeorſim ſingulis dicabat, ut dignè die proximo cœleſte hoc convivium adeundi gratiam impetraret. Pridie, quàm ejus particeps fieret, diem jejunus tranſigebat; ad hæc & lectionis piæ, & ſermonis materia grande hoc myſterium erat; de quo facundiſſimus miro cum fervore, & animi ſenſu loquebatur. Quod cùm obſervatum eſſet, Sacerdotum multi Sabbatho ei colloquenti ſe ſocios jungebant, negabantque ſe unquam majori cum pietatis ſenſu ſacra peragere, quàm cùm loquentem de ijs Aloyſium pridie audiviſſent. His cogitationibus imbutus lecto ſe dabat veſperi, eáſque primâ, dum evigilâſſet, luce repetebat, ac horam integram de hoc amoris myſterio meditatus, ne quid in anima ſua invenuſtum tantus hoſpes reperiret, accuratiſſimo examine deprehenſos vitæ ſuæ nævos apud animæ arbitrum deponebat, ac poſtquam multis cor precibus & ſuſpirijs accendiſſet, omnibus

bus animi viribus collectis admodum, attentísq; , eâ totius corporis compositione SS. Eucharistiam excepit, ut ex ejus communicantis aspectu tenero pietatis affectu præsentes omnes accenderentur ; dum non tam juvenem , quàm Angelum carne vestitum , totúmque divino amore flammantem intueri se credebant. Suavissimis Aloysius intereâ perfundi delicijs , quarum ubertas dulces lachrymas oculis exprimebat. Quàm gratum hominibus , quàm jucundum Angelis spectaculum ! juvenis devotè communicans. Esnè tu in horum numero Parthenophile ? si genibus humi fixis immobilis oras ; si manus libello , aut rosario instructas , nulli fulcro innixus , ante pectus decorè componis ; si oculos , ab obviarum rerum aspectu prohibitos , vel humi, vel in altari defigis ; si mentem ad SS. Sacramenti dignitatem recolligis ; si sacris fidei , spei , & maximè Charitatis affectibus indulges ; Aloysij communicantis sequeris vestigia , sed

&

& proemia consequêris; hic enim ad devotionis mensuram dona largitur DEUS. Sumpto divino cibo pari manûs, ac vultûs compositione se in angulum aliquem revocabat Aloysius, ibi alienatâ quasi â sensibus mente precibus, quas affectus dictabat, Deum cordi suo præsentem demissè veneratus, suam ei innocentiam, in litteris & virtute profectum, vitæ statûs electionem instantissimè commendabat. Quibus peragendis tantum temporis insumebat, ut Rudolphus frater, moræ pertæsus, animi causâ ad deambulationem templo egressus, iterúmque reversus, etiamnum orationi intentum reperiret. Nullâ occupatione hoc sibi tempus passus præpediri. Fuit, dum gratias in odæo post communionem agens fratrem frequenti comitatu adesse, nec longas pati moras posse, moneretur: at hic, ne verbo quidem reddito, duas ipsas horas immotus, genibus nixus perstitit, dein ad fratrem Marchionem salutandum comparuit.

Pu-

Pudeat hic vos, adoleſcentes, teporis veſtri, quo poſt ſumptum divinum epulum vix modico temporis intervallo pietati vacatis; ſed illico ad exteriora effuſi, relictâ æde ſacrâ, in plateas & fora, utinam non in nugas & ſcurrilia, effundimini. Quis miretur tam exiguum poſt tot Communiones fructum, tam nullum rerum ſpiritualium guſtum? *una Communio ſufficit ad ſanctitatem:* Sed ſi ea ritè peragatur. Aloyſius toto antemeridiano tempore & jocis & riſibus, luſûque omni abſtinebat, ſed omne aut precibus, aut piæ lectioni, aut audiendæ concioni immolabat. Hæc divini Epuli dulcedo eam in Aloyſij corde famem reliquit, ut cum eo quotidie, ut optâſſet, frui non liceret, nullam tamen diem prætermiſerit, quin tum ſacro intereſſet, poſtquam ſacerdos conceptis verbis Chriſti Corpus confecerat, in votis illud ſummè anhelaret, ſicque ſpirituali Communione reficeretur.

Ca-

Caput IX.


B. Alosij erga mulieres odium.

ANgelicæ, quam DEI Matri voverat, Virginitatis studiosissimus Aloysius, omnia ei tuendæ opportuna adamussim exequebatur. Ex quo fonte manavit ea solertia, ut omnem mulierum familiaritatem & congressum aversatus, perpetuam quandam cum illis discordiam, & antipathiam ei, non à natura, sed à gratia, inditam esse nemo dubitaret; adeo nec alloquium, imò ne conspectum quidem earum ferre poterat. Tenellus adhuc, matris gremio vix egressus, à Leonora Medicea, quæ dein Mantuæ Ducis consors fuit, & Maria sorore dein Galliæ Regina, tum propè infantibus laxandi animi gratiâ ad hortum invitatus induci non potuit, ut socium se jungeret, & pareret invitationi. Castillione cùm nutricum potestati exemptus separatus degeret in conclavi, & mater è

B. Aloysius nullam fœminam, ne Imperatricē quidem licet triennio in aula versatus de facie conspexit.

Der H. Aloysius schaüet niehmallen kein Weibsbüldt, aüch so gar die Khayserin selbsten nicht an.





nobilibus fœminis aliquàm ad eum nuntij alicujus ferendi causâ misisset, eam ille non nisi per conniventem, modicéque reseratam Januam, sed & ibi dejectis, ne eam videret, in terram oculis, quid mater vellet, audiebat, & quàm citissimè, quamque paucissimis expediebat. Imò ne matri quidem ipsi sine arbitris loqui volebat: unde si; donec cum ea in cœnaculo, aut cubiculo agebat, alij dilaberentur, séque solum relictum adverteret, rubore suffusus discedendi prætextum inquirebat. Illustres quasdam fœminas, sibi sanguine junctas, officij causâ quandóque adire compulsus, ita salutavit, ut negaret se ullam earum de facie conspexisse. Admirandum illud ampliùs, quòd licet ex Italia in Hispanias cum Imperatrice profectus, & demum triennio in Regia Hispana versatus quotidie cum Jacobo Principe eandem salutatum adiret, sexcentásq; alias eam videndi occasiones haberet, ne semel tamen ejus faciem unquam conspexerit.

rit. Illustrissimum sanè juvenis Angelici, & inusitatum prorsùs exemplum! quod mulierum odium multis passim argumentis probatum adeò palam innotuit, ut communi, sed pulcherimo pudicæ juventutis titulo *fœminarum hostis* vocaretur. Inter gratias, quas à Patre rogabat, princeps erat: ut suâ operâ ubi vellet uteretur, modò ad fœminarum alloquia, & visitationes ire non juberet; hoc enim non nisi necessitate compulsus agebat; sed & tunc eâ modestiâ & circumspectione, ut corpore præsens, animo longissimè abesset. Hercules Tanus Aloysij avunculus festivum nepotibus suis convivium apparaverat; cui ut interesset nullis precibus se moveri patiebatur Angelus noster; probè gnarus inter lances & pocula naufragari sæpe innocentiam; donec Sollicitatione longâ, imò & imperio interesse compulsus, præclarum nobilibus viris & fœminis, quæ mixtim aderant, modestiæ specimen exhibuit. Remotis

quip-

quippe mensis choreæ, ut apud Nobiles sequior mos inolevit, apparantur: & ecce una de nobilioribus, tam formâ, quàm stirpe, puellis adest, quæ Aloysium (quid enim non audet mulier?) ad saltum invitat. Mirùm quantùm exhorruit optimus Adolescens, & rubore totum vultum occupante suffusus, ne verbo quidem dicto, palatio se subducit, non ampliùs pedem ad vanitatis theatrum relaturus. Diu frustra quæsitus, nullibi apparebat; donec Hercules, aliud agens, per famulorum domicilium transiens videt eum lecticam inter & parietem fixis in angulo genibus deprecantem. Hoc eventû cautior factus Aloysius, nec ad convivia, nec musicam, nec spectacula ullo se pacto adduci est passus. Disce, quisquis hæc legis, quomodo servanda sit mentis & corporis integritas. Avertendus est oculus, ne videat vanitatem; impudicus oculus impudici cordis est nuncius; nemo cor suum pudicum esse dicat, qui oculum habet

bet impudicum. Averte, *averte faciam tuam*, ait Sapiens: *à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.* Hoc odium sanctum est, cùm pius juvenis fœminarum odit alloquia. Si mergi renuis, Syrenes cave; præstat mulierum habere odium, quàm consortium: Sunt vermiculi, qui non sentiuntur, dum mordent, sed relicto morsu etiam absentes nocent. Nemo fidat virtuti suæ, nec in præterita castitate spem ponat; semel vidit David fœminam, & quo devenit? nemo juxta viperam stat securus. Fuge, fuge, Sanctum cum oculis tuis fœdus pange, ut nunquam ad illicita convertantur; eruantur citiùs, quàm scandalizent.



Ca-

B. Aloysius Mathematicas demonstrationes in Schola auditas domi ad amussim exactissimè dictat.

Die in der Schüel gehörte Mathematische Erkhlerüngen widerholet der B. Aloysius zü haüß gänz genaw.

25



Fu

C
cu
ba
q
p
te
er
pu
di
át
cu
fu
vi
ef
te
q
ac
d
p
g



Caput X.

Fuga otij, & litterarum amor in B. Aloyſio.

QUia ſcelerum omnium, & maximè impuritatis, radicem & fœcundam matrem otium eſſe intelligebat Aloyſius, ita diem in diarium quotidianarum actionum ordinem partitus eſt univerſum, ut nihil in eo temporis otium reperiret; ſingulas enim diei horas, alias orationi, ſcriptioni alias, item piæ lectioni, ſtudio, & alijs occupationibus honeſtis attribuebat. Quæ ratio eſſe potuit, cur nullas â dæmone tentationes paſſus, Angelo quàm homini ſimilior vixerit. Ubi enim otium, ibi nidus eſt diaboli, ibi naſcuntur, & vivunt tentationes. Dum pigra ſtagnat aqua, immunda gignit animalia; dum adoleſcentes domi otioſi deſident, dum incurij domum pererrant, dum per feneſtras proſpectant, aut in angulis hærent, dum per fora & pla-


teas incerto pede vagantur, dum in lecto sine somno pigritant, ibi tentante diabolo cogitationes, ibi desideria impura, ibi scelera imbibunt, quæ occupatis nunquam incidissent. Vita otiosa semper est vitiosa.

Quàmprimum ætas patiebatur, honestarum litterarum disciplinis applicitus, ingens in ijs perdiscendis gaudium exhibebat Aloysius: erat illi præstans, perspicáxque ingenium, cum eximia judicij gravitate conjunctum. Post absoluta humanioris litteraturæ studia, severioribus in Hispania, honorarios inter Ephebos, dabat operam; eo profectu, ut cùm fortè eo tempore Complutum iter haberet, quo Præside P. Gabriele Vasquez, viro tot libris illustri, Theologicæ Theses propugnabantur, Adolescens 14. annorum ad eas oppugnandas invitatus, appositis argumentis, singulari cum omnium applausu, num Mysterium SS. Trinitatis naturali vi mentis cognosci possit? disceptaverit. DEI hæc erat bene-

benedictio, quam pietate suâ merebatur: nunquam enim studia nisi renovatâ ante piam imaginem, quam in studiorum loco semper ante oculos habebat, intentione, ac oratione præmissâ, inchoare consueverat; crebra sub ijsdem in cœlum mittere suspiria, inde in difficilibus lumen petere in more habuit. Scholam aditurus, licet equorum suppeteret copia, ferè pedes, nullo accinctus ense, nullo cum proximis asseclis sermone, moderato passu, oculis in officio custoditis, manibus non reconditis, sed pallium decenter ante pectus complicantibus procedebat, nec priùs Scholam ingressus, quàm SS. Sacramentum in templo adorâsset. In Schola repetitâ S. Spiritûs invocatione, ijs, quos probiores novit, assidere, Signo crucis ante scriptionem, aliamvè Scholasticam actionem se munire, totus â Magistri ore pendere consuevit. Quo profectu hæc egerit, ex eo colligere licet: quòd dum Mediolani Mathesim frequentaret,

taret, eámque Profeſſor calamis excipiendam non dictaret, Aloyſius ne fortè audita lapſu temporis memoriâ exciderent, ſimul domum redierat, cubiculario ſuo adeo promptè, dilucidè, feliciter omnia dictavit, ut meritam ea ſcripta inſpicientibus admirationem moverint; quòd nullam demonſtrationem omiſerit, non numeros immutaverit, non menſuram, non rationem, non punctum, non lineam, nullum deníque vocabulorum, quæ ſcientia hæc ſibi propria habet, prætermiſerit. Nimirum ut ad omnia, ita etiam ad ſcientias utilis eſt pietas, huic niſi comes eat litterarum cognitio, inflat, & plùs ad animæ perniciem, quàm ſalutem deſervit. Proinde, ut te diligentiſſimum eſſe Parthenophile quàm maximè cupio, ita pietatem ſemper ſtudijs anteponendam eſſe ſuadeo: amanda eſt ſcientia, ſed præferenda conſcientia. Quanquam ut mentem meam candidè aperiam: ſi diligens es in ſtudijs, ſi indefeſſus bonis autho-

thoribus legendis, aut occupationibus litterarijs inhæres, ſi coœtaneos in litteris ſuperare laboras, bonum eſſe te vix dubitabo. Sic enim vitiorum ſcaturiginem, otium excludes, & tempus tibi deerit ad illicita. Sicut vice versâ juvenis bona nactus talenta, ſi deſidioſus & piger, ſi litterarij profectûs incurius, ſi inglorius vim ingenij non exercet, ſi penſum Scholaſticum negligere nil penſi ducit, non obſcurè perverſus eſſe convincitur. Ubi ſtudere deficit, ibi malus eſſe incipit. Solers diligentia, & accuratum ſtudium innocentiæ eſt indicium; cum talibus Parthenophile ſit converſatio tua; qui poſtrema ſemper terunt ſcamna, ultimóſque ordines occupant, hos familiaritate tuâ indignos habe.




Caput XI.

B. Aloyſij â cibis abſtinentia.

QUi ligna foco ſubtrahit, facilè flammam ſopit; ſine Baccho & Cerere frigere Venerem, vetus eſt proverbium; & tam vetus, quàm nova experientia impoſſibile eſſe docet, gulæ ſimul & Caſtitati ſervire; ſicut viciſſim nemo corpus faciliùs rationi ſubijcit, nemo plùs arcet libidinis incentiva, quàm qui corpus inediâ novit caſtigare. Hac in re quantus, quàmque ſeverus in ſe fuerit Aloyſius, nemo crederet, niſi plurimi, qui circa illum verſabantur, jurejurando teſtati fuiſſent. Juvenis mollibus in cunis educatus, teneræ complexionis, valetudinis non admodum firmæ tria minimùm quot hebdomadis ſibi jejunia indixit: die Mercurij unum, alterum paſſioni Chriſti recolendæ die Veneris, tertium demum Sabbatho honori magnæ DEI Matris eâ lege ſervabat; ut manè

Cibi quantitas, quam B. Aloysius sumebat, bilanci appensa unciam non excedebat.

Die Nahrung, dero sich der S. Aloys. gebrauchte, wägte nicht mehr, als ein Unzen.



tribus panis ſegmentis in aquam intinctis, nullâ re præterea; veſperi autem unico panis modicè toſti, & aquâ macerati fruſtillo veſceretur. Tribus his extraordinaria non raro accedebant jejunia, quæ toties ſibi imponebat, quoties vel imminentis feſti celebrioris cultus, aut pietatis ardor imperâſſet. Quin & reliquis extra jejunia diebus cibi erat tam modici, ut qui ejus menſæ ſerviebant domeſtici, meritò mirati fuerint, quomodo vitam poſſet ſuſtentare. Inſcio ipſo curioſiores aliqui, quantum cibi unâ mensâ ſumeret, explorare volentes, poſtquam panem cum cibo ad libram examinâſſent, jurejurando affirmârunt: totum id, quod in prandio, vel cœna, ſumere ſolebat Aloyſius, unciam non integram ponderâſſe. Qui cibus adeò vitæ conſervandæ non ſufficit, ut fateri neceſſe ſit, vitam illi divinâ quadam vi conſervatam fuiſſe. Abſtinentiæ hujus occaſionem ei, undecim tunc primùm annos nato, morbus aperuit;

nam ut noxios humores, morbi nempe materiam, inediâ consumeret, consilium medicorum erat: quod ille tantâ aviditate assumpsit, ut miraculum sit, eum fame non interijsse. Etenim si quando cœnâ unâ ovum totum, quod perrarò accidit, edisset, tum sanè perlautè videbatur epulatus. Valuit quidem ad vim morbi depellendam hæc inedia; utpote qui morbum illum reliquâ vitâ nunquam sensit: cæterùm valetudinem ejus & vires plurimùm labefactavit. Hanc victûs parsimoniam tum per hyemem, quam egit Mantuæ, tum per vitam in sæculo residuam, plurimis licet dissuadentibus, constanter tenuit; nec jam valetudinis, ut vulgò putabant, gratiâ: Sed, ut ipse religiosæ dein familiæ adscriptus P. Hieronymo Plato ingenuè fassus est, corporis affligendi causâ. Quæ inedia stomachum ita debilitavit, ut neque cibum postea capere, neque, si reluctanti naturæ ingessisset, ullo modo retinere posset. Dum ab alijs de vi-

rium imbecillitate, quam hac abſtinentiâ ſibi conciliabat, ei ſcrupulus injiceretur; plus de animæ, quàm corporis ſalute ſollicitos eſſe nos debere, ſignificavit. Lautiori menſæ adeſſe coactus, id ferculum, quod deterrimum judicabat, eligere, eóque modicè deguſtato potiùs, quàm ſumpto, reliqua intacta relinquere ſolebat. Tecum nunc mihi ſermo eſt Parthenophile: quid metuis? tantam à te non poſco inediam; non peto, ut corpus ad uſque virium imbecilitatem jejunijs frangas, mitiora ſunt, quæ ſuadeo. Durúmne tibi videretur unico, ſed gratiori, qui palato arrideret, bolo quotidie abſtinere? eſſeſnè tam generoſus, ut omni Sabbatho, aut die communioni prævià veſperi calidos tibi cibos interdicere poſſes? nimiúmne tibi foret fructibus, eâ minimùm vice, dum ij tibi primùm, adhuc novelli, offeruntur, genium fraudare? forétne virtuti tuæ poſſibile, ut tempore prandium inter & cœnam medio ni-

hil omninò deguſtares, aut diem aliquem totum ſine vini potu tranſigeres? ſi talis es, qualem te æſtimo, credo ego, plura te his, & majora præſtiturum. Impetrabit hoc à te innocentiæ pretium, cultus magnæ Matris, imitatio Aloyſij. Abſit mihi vel ſuſpicari, te ad ganeas & popinas pedem unquam inferre, aut compotationibus intereſſe; ad has qui te invitat, hoſtis eſt, non amicus; integritati tuæ perniciem ſtruit & laqueos, qui calices propinat, in quibus ratio, honeſtas, pudor, & vitæ innocentia miſerandum naufragium patiatur. Vinum juventuti noxium, oleum addit igni, utinam non æternis ignibus puniendo. Nihil ſolidæ pietatis ab illo ſpera, qui hederam olet; nec ullibi aut ſæpius adeſt, aut libentiùs, quàm ubi liberalius fluit epiſtomium.

* * * * † * * * *
* * * * *|* * * *

Ca-

B. Aloysius canum loris, funibus, catenis se flagellat, equorumq calcaribus cingit. et asserculo indormit.

Der S. Aloysius geÿßlet sich mit rüehmen ündt strükhen, ümbgürtet sich mit sporen, rüehet auff bretlein. 31

Va

U
ter
fe I
Ha
nis
ftr
ef
d
a
b
n
e
h
li
ti
p
fu
a
t
n

Caput XII.

Variæ, quas B. Aloysius adhibebat, corporis mortificationes.

UTinam quàm verum, tam omnibus persuasum esset, nullum deteriorem, juvenibus potissimùm, esse hostem quàm sit caro domestica. Hæc ferè sola est, quæ nisi quotidianis rigoribus edometur, innocentiæ struit insidias. Omni bestiâ ferocior est, quæ nullâ re magis, quàm blandimentis efferatur; quantò fovetur ampliùs, tantò plùs nocet; offert blanditias, delicias suadet, & sub mentito gaudij nomine Virginitatem expugnat, animam occidit. Hostem hic hostis reperit in Aloysio, à quo licet passus nihil unquam sit innocentissimus juvenis, tamen ne pati fortè posset, nihil majori quàm carnem suam odio prosecutus, omnes eam affligendi & macerandi vias excogitavit. Nam ut severissima hic jejunia, quibus omnes illi vires ademit,

taceam : tenellus adhuc juvenis ter minimùm in hebdomada in se flagellis tam acriter sæviebat, ut copioso vestes sanguine macularet. Ultimis quibus in sæculo vixit annis, quotidie eam in se lanienam exercebat, jure sui carnifex dicendus. Dum adhuc flagellis hunc in usum contextis carebat, obvia, quibus domi canes alligari solebant, lora, funium frusta, catenásque rapiebat, quêis innocens corpusculum castigaret. Non semel commiserationem excivit in famulis hoc spectaculum, dum per januæ rimas Dominum suum coram Crucifixo flectentem, séque, quasi mortalium scelestissimus foret, acerbissimè cœdentem conspexerunt. Iidem dum lectum sternerent, copiosam ejusmodi è funibus suppellectilem cervicali subjectam repererunt, quæ uti & indusia copioso sanguine imbuta matri non semel exhibuerunt. Ne verò interdiu corpus dolore vacaret, cilicij, quod illi tunc adhuc deerat, locò, non audito hactenus

exem-

exemplo, calcaria fodiendis equorum lateribus destinata, nudo lateri alligabat, ferreósque radiolos in teneram carnem altè immergebat. Nec die mitiorem sinebat ire noctem: nam duræ Christi crucis memor asserculum, aut rude ligni fragmen sub linteamine in lecto recondebat, ut sic etiam dormiturus molestus corpori suo esset. Atque hæc duodecimum vix egressus annum agere in more habuit. Adeò nulla virtuti, & mortificationi immatura est ætas, modò fervor adsit. Quid ad hæc tu delicate Christi miles? Quid cogitas Parthenophile? si flagella, si cilicia, si asserculos tibi suasero, timeo, ne horum timor deliquium tibi excutiat. Sed mihi crede, gravior est horum metus, quàm res ipsa. Si tam generosus esses, ut proximo fortè die Veneris Christi vulnerum memor quinque flagello ictus dorso infligeres; si in Matris tuæ Virgineæ honorem Sabbatho aliquo, quadrante unico, cilicio te præcingeres, aut tan-

tillo tempore asserculo indormires; experireris ſanè, impoſſibilia tibi non eſſe, quæ ut talia fugiebas. Initio ferè hîc opus eſt. Faciunt hæc conſodales tui plurimi, te tam ætate, quàm complexione teneriores. Plura potes, quàm putes; tenta: ſic aſſuevêre, qui priùs vel nomen cilicij, aut diſciplinæ horruerunt. Aloyſius ut innocens maneret, tam durè corpus habuit, & tu ſine his te ſperabis angelum permanſurum? utinam non erres! nullum ille corporis affligendi faciebat finem, nullam prætermittebat occaſionem: hyeme focum in conclavi ſuo accendi non eſt paſſus; quo factum: ut manus ejus tenerrimæ præ frigoris acerbitate intumeſcerent, & ruptâ pelle ſanguinem ſtillarent; nec igni tamen appropinquare, aut ſi id agere cogeretur, eò ſanè ſe loco conſtituere, in quo minimè calefieret. Remedia pariter ſedando manuum tumori oblata recuſare. De hac vitæ auſteritate certior factùs Pater, vehementer in

B. Aloysius senem minus honesta coram iuvenibus loqventem corripit fugitq́.

Einen vor denen Jüngen unehrbar rädendten Alten bedrohet und fliecht der H. *Aloysius*.



Aloysium invectus, nihil hunc terruit; aliquando ad Aloysij Matrem conversus dicebat: *hic puer manus sibi ipsi violentas videtur inferre velle.* Nec abs re dictum, tantùm quippe in eo cum ætate voluntarij hi corporis cruciatus sumpserunt incrementum, ut præ corporis emaciati debilitate vix pedibus consisteret. Quæ ratio fuit, quâ Mater usa Patri, ut eum ad religionem amplectendam dimitteret, suadebat: *si domi*, ajebat, *detineatur Aloysius, eó brevi orbatum iri Patrem, at verò, si religioni transcriberetur, curæ futurum Præsidibus; ut ejus fervori modum ponant.*

Caput XIII.

B. Aloysij Colloquia.

SI, ut è cantu avis, ita è voce interna hominis constitutio nosci potest, certè spiritu DEI plenum esse oportuit Aloysium, qui non nisi de rebus divinis, ex abundantia nempe

cor-

cordis, differere sciebat; idque eâ verborum gravitate: ut in admirationem traheret audientes; qui nisi loquentis ætatulam intuiti coràm fuissent, non puerum, sed grandem ætate virum, aut ascetam se audire credidissent. Quinquennis quidem, quâ ætate Pater eum inter milites versari voluit, nonnulas ex eorum consortio voces minùs honestas, quid sub verbis illis lateret ignarus, hauserat; quas ubi semel Aloysij ore excidisse Turcius Moderator inaudijt, tantâ in eum vi invectus est, ut nullum ejus ore deinceps verbum nisi honestum ac decens prodijsse sit auditum. Gravissimi hîc sanè delicti reum se agnoscebat Aloysius, nec hujus dicti pœnitudinem unquam deposuit; etsi ob ætatem adhuc peccati incapacem, & significationis ignorantiam, omni culpâ vacaverit. Tantùm interest, inter quos educetur, aut quibus innocens anima sermonibus intersit. Mima est & actionum, quas videt, & verborum quæ

audit,

audit, juventus; haurit venenum, nec advertit; ſæpe priùs apud infames locutulejos malus eſſe diſcit, quàm, quid malit ſit, noverit. Actum eſt de talibus, niſi peritum nacti moderatorem dediſcant, quæ incauti didicerunt. Si quem deinceps licentioſiùs loquentem audiret Aloyſius, illicò ingenuo pudore vultum ſuffuſus, oculóſque defixos tenens, vel dicta ſe advertiſſe diſſimulabat, vel caſtigabat; aut ſi id minus poſſet, omnino diſcedebat. Nota jam aulæ Hiſpanæ hæc juvenis erat verecundia, ob quam tanta ei apud reliquos authoritas, ut eo vel eminùs conſpecto ſolutiores diſcurſus abrumperent, ſéque ad ejus modeſtiam, ſermoníſque gravitatem componerent: è cujus ore nihil prodijt, quod non ſpiraret honeſtatem; nullum verbulum, etiam jocò prolatum, minùs caſtigatum, & carnem aut Venerem olens in aures admittebat; ob quem morem communi per aulam famâ vulgabatur: Marchionem Caſtilionis non videri

carne

carne constare. Præclarum hujus specimen Augustæ Taurinorum in ædibus Hieronymi Roborei, dein Cardinalis, edidit: ubi dum in nobilium adolescentum corona colloquio indulgeret, & septuagenarius senex, qui fortè aderat, sermones, jocósque minùs pudicos spargere cœpisset, sancto Zelo commotus, insigni cum libertate sic senem juvenis, impurum Angelus aggreditur: *Ecquid pudere oportuit hominem grandem hísque vel naturæ, vel fortunæ dotibus, quibus tute præditus es, in cœtu horum nobilium adolescentum de hoc genere rerum loqui? hoc verò est peccati periculum injicere, & malo exemplo esse; ita enim D. Paulus: corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Nec plura: sed illicò, libello pio in manus sumpto, ex illo turpiloquorum grege se in aliud conclave recepit. Præcessit ille, ut tu Parthenophile libero pede sequaris, si quæ sors, ut facilè accidit, eorum consortio te intulerit, qui læti esse nesciunt, nisi obscænos

nos jocos, cantus inhoneſtos, fæda proverbia, & prætextatos ſales effutiant. Improba ſanè lætitia, ubi offenditur DEUS, læditur conſcientia, & vel perit, vel patitur innocentia. Inſanus jocus! qui infernum promeretur. Nefandus ille riſus eſt! qui Angelis, innocentiæ Cuſtodibus, lachrymas ciet. Vis eſſe lætus? nihil moror: ſed ita ſis, ut nihil lachrymis dignum geras. Intempeſtiva eſt lætitia, quam ſequi debet pœnitudo. Satius eſt hinc abire, quàm perire. Properè agitur, quod libenter auditur; ſic verbum, dum aures inficit, animam interficit. O quot, quàmque præclari juvenes, concupiſcentiæ ac dæmonis ſæpe glorioſi victores, labem integritatis, quam cœteris ſenſibus fortiter arcebant, auribus hauſerunt; intrat quippe ſermo per aures, ſed hinc in cor delabitur, & licet non ſtatim noceat, tardiùs virus exeret, ſemina relinquet in animo; unde cogitationes & deſideria vel invito reſurgent, non quovis conatu

ſo-

ſopienda; quod enim vel ſemel malè auditum eſt, ejus per omnem vitam peſſimè recordamur. Sepi aures tuas ſpinis Parthenophile, & vel virgineo vultu erubeſcas ad inhoneſta, vel ſeveriore ut minimùm oculo dicta deteſteris; vel, ſi plus in te ſpiritus agit, etiam loquentem corripe.

Caput XIV.

B. Aloyſij recreatio, & luſus.

QUàm neceſſaria ſtudioſæ juventuti eſt animi relaxatio, quâ vires ſtudijs fatigatas reficiat, tam periculoſa illa ſolet eſſe innocentiæ, niſi quàm cautiſſimè peragatur. Integritatis cuſtos intemeratus Aloyſius omnem, quantùm potuit, populi celebritatem fugiebat; ad comœdias, cænas intempeſtivas, publica conventicula nullis precibus adduci potuit; licet ad hæc ab amicis ſæpe, â Patre ſæpius, tam inuſitatum ejus ſolitudinis ſtudium ſtomachante, invitaretur. Raro prodibat in publicum, niſi aut Scho-

B. Aloysius in lusu à Victore umbrã Puellæ osculari iussus fugit, nunquam talem lusum repetiturus.

Der S. Aloysius im spüll gehaÿssen den schatten einer Freülin zükhüssen flieht ündt verlast das spüll. 36



Scholam, aut ædem aliquam ſacram, aut Religioſorum domicilium adiret. Plerúmque ſolus in cubiculo tam ſanctum ſilentium tenebat, ut non pauci abirent dies, quibus vix verbum diceret; non naturæ tædio, ſed mundanarum recreationum contemptu. Faſſus eſt ipſe: *plus ſe verborum poſt initam Religionem uno die, quàm antè multis menſibus dixiſſe.* Sciebat ille turbas ſemper eſſe in turbis. Intèr multos vix unquam non magna inquies; nunquam tutò multis miſceri potes Parthenophile: inimica Puritati eſt promiſcua converſatio: hæc vitium aut verbo commendat, aut exemplo vel neſcienti allinit. Júvenes qui rarò domi, continuò inter multos viſuntur, bonos eſſe vix credo; venalis in foro fit Innocentia. Non tibi tollo relaxationem, non prohibeo exitum, converſationem non invideo; ſed cum turba, cum obvio quoque, qui occurrit, converſari te non velim. Si meliores quæſieris, hi cùm multi non ſint, nun

quam


quam te inter multos conſpiciam. Scis quæ fuerit Aloyſij recreatio? diſce: Sciebat is recreationis die Societatis JESU Religioſos corporis exercendi causâ in villam quandam egredi ſolere, quare ille ſummo mane lecto ſe eripiens illam viam profectus, tantiſper inambulans aut libellum, aut ſi tempus ferret, violas legebat, donec advenientes eâdem viâ Patres videret, quas ſalute comiter impertitâ pedibus oculíſque ſequebatur, utpote quorum ſolus aſpectus tantam ei voluptatem adferebat, quaſi Angelos cœlo lapſos conſpexiſſet. Ubi illi villæ fores ingreſſi oculis eripiebantur, ipſe viam eandem remenſus, alijs ibat obviàm; tunc ſe optimum ratus habuiſſe recreationem, cùm plures eorum conſpexiſſet. Audi ſecretum, quod tibi pando, Parthenophile: propè indubium apud me innocentis adhuc conſcientiæ ſignum eſt, quamdiu juvenes eorum delectantur conſortio, & alloquio gaudent, ſub quorum cura & diſciplina

in-

inſtituuntur : ſicut juvenes modera-
torum oculum ſubterfugientes, vi-
tantes præſentiam, lucifugæ; non
optimum dant innocentiæ argumen-
tum. Si pluvia exitum vetuiſſet,
Aloyſius ſe ad Societatis JESU Colle-
gium conferebat, ut divinis ibi ſer-
monibus pietatem ſuam paſceret.
Nec Sacerdotum ſolùm, aut Schola-
ſticorum conſortio gaudebat, ſed &
cum ijs, quibus domeſticæ rei cura
incumbit, Coadjûtoribus colloqui
ducebat in gratijs; janitoris præſer-
tim familiaritatem aucupabatur : qui
ſi aliquando januæ illi claves, donec
fortè Patrum aliquem accerſeret, per-
mitteret, inter beneficia numerabat.
Adeò volupe illi erat inter Religio-
ſos commorari. Bacchi ferijs, qui-
bus lætitiæ omni frœna laxant mor-
tales, ut à ludis & theatris abeſſet,
abdebat ſe in Collegio, Patres Socie-
tatis JESU ſpectaculum ſuum eſſe,
dictitans, quod ſibi majorem, quàm
ulla res mortalis, lætitiam faceret.
Plauſus & feſtivitates, quas munda-

ni celeberrimas habebant, adeò parvi fecit, ut non nisi quàm contemptissimè de ijs loqueretur. Dum Mediolani versaretur, accidit: ut equestre certamen per hilarium antecineralium ferias maximo nobilis juventutis concursu celebraretur; ubi juventus pro suarum quísque opum mensura maximè phaleratis, & insignibus equis invecti comparebant: quam eorum festivitatem ut despicatui se habere ostenderet, tempore ac loco condictis, humili vectus mulo, se superbè equitantium agmini miscuit, non minori mundum ludibrio habens, quàm ipse haberetur. Ita mundi festa, pompam, & lætitiam æstimant, qui sinceris ea oculis intuentur. Lusibus ne se promiscuè socium jungeret, jam parvulus periculo suo edoctus constituerat. Erat, dum à Matre cum paris ætatis utriúsque sexûs parvulis ludere compulsus, lusui indulgebat eâ lege instituto: ut qui vinceretur, pœnam aliquam victoris arbitrio definiendam subiret,
acci-

accidit, ut Aloyſius, utpote qui luſuum parùm peritus erat, victus ſuccumberet. Victor itáque victo, ut herulæ ab adverſo lumine (veſper enim erat) apparentem in pariete umbram oſcularetur, imponit. Quid hîc ageret Aloyſius? egit quod Angelum, imò quod & quemvis Parthenophilum decebat: verecundiâ ſimul & indignatione ſuccenſus, ad hoc grande flagitium erubuit, & illicò, luſu ſimul & conſortio relictis, in tutiora ſe recepit. Erubeſciſnè ad ſimilia Parthenophile, ſi ita, ſalva res eſt. Rubor hic tinctura probitatis & character eſt innocentiæ, hic color eſt præcipuum juventutis ornamentum. Qui perfrictâ fronte vultum non mutat ad turpia, impudens eſt, depuduit apud eum honeſtas, obcalluit in nequitia, defloruit hujus Virginitas.



Caput XV.

B. Aloysij juvenis Zelus ad alios in pietate, & fide instruendos.

Litteras Indicas, quibus Patrum Soc. JESU in juvandis ibi animabus conatus & labor continebatur, cum voluptate lectitabat Aloysius; eo fructu, ut ad salutem animarum quoquo modo, vel cum vitæ jactura olim procurandam, nunc autem pro ætatulæ illius viribus, & occasionis mensura juvandarum, plurimùm se animari sentiret. Hoc fervore impulsus, Festo quóque die puerorum Scholas adibat, ibi parvulos de fidei nostræ rudimentis erudiens, iisdem peccati horrorem, pietatem, aliáque innocentûm morum præcepta tantâ alacritate simul & humilitate instillabat, ut nullius pueri quantumvis egeni ac laceri, quamvis ditionis suæ esset, consortium fugeret, omnium promiscuè animos ad DEUM colendum, & enixiùs amandum excitare laborabat. Et sanè profundiùs in

B. Aloysius Fratres Suos propositis in præmium bellarÿs in fide et pietate instruit.

Der S. Aloysi9 ünterweiset seine Brüeder in glaüben ündt Andacht, mit versproch-enem Zükherwerkh.

pa
do
tic
qu
ni
N
ri
ce
re
ne
tá
de
ef
ri
br
ba
de
te
ri
h
d
fo
lu
a
fe
d

parvulorum animos hausta è parvulo doctrina descendit: tum quòd gratior ab æquali venerit instructio, tum quòd parvus similium moribus & genio aptiùs se noverit conformare. Nec ita curabat exteros, ut non pari Zelo ferretur in domesticos. Princeps illi cura fuit, fratres suos minores, Rudolphum, & Franciscum, tenella statim in ætate pietatis præceptis imbuere, precandique modum edocere. Quod ut illi promptiùs factitarent, post preces peractas bellaria ijs, saccharitem, similiáque, quibus ætas illa capitur, dulciaria donabat. Si quando Rudolphum moderatoris correctionem ægriùs ferentem advertit, arguebat; & ut imperij audientior esset, hortabatur. Ad hæc Patrem suum adeò perditè lusui deditum, ut sæpius aliquot millia scutatorum uno lusu prodegerit, doluit intimè Aloysius; cúmque palàm arguere non auderet, in cubiculum se recepit, ubi Patris intemperiem deplorabat. Ad quas lachrymas, ut

ipſe familiaribus dicebat, non damno, quod parens opibus inferret; ſed injuriâ, qua DEUS offenderetur; movebatur. Sed precibus tandem apud DEUM impetravit, ut Parens errore cognito luſu omni abſtinuerit, & non ſine lachrymis errorem deteſtatus, dixerit: *non ignoro, unde hæ lachrymæ fluant, ſunt hi Aloyſij fructus; qui â Deo Optimo Maximo, ut hoc ſalutari dolore cor mihi ſuffigeret, impetravit.* Cubicularios, & eos, qui ab obſequijs ei erant, exemplo ad pietatem compoſuit. Hi enim per januæ rimas frequentiùs Aloyſium, quid ageret, obſervantes, dum continuò ferè orationi intentum viderent, Domini æmulatione & ipſi DEO ſupplices accidebant. Efficaciſſimus hic ſanè pietatem ſuadendi modus eſt: exemplo præire. Jacobum Principem Philippi II. Catholici Regis filium è feneſtra proſpicientem ventus impetierat, cui ille pueriliter indignatus: *heus vente*, inquit, *tibi, ut moleſtiam mihi exhibere deſinas,*

finas, impero. Quorum verborum occasione usus Aloysius, qui cum Jacobo tunc educabatur, eum divini cultûs admonuit. *Potes*, inquiebat, *Domine mi homines tuis dictis obedientes nancisci; in elementa autem solius DEI imperium est; cui & te parere oportet.* Hæc ille Regi perhumaniter; severiùs castigabat alios, siquos DEO maledicentes, aut turpia jactantes inter Aulicos observâsset. Quos in oppido depravatis moribus vivere intellexit, omnem movebat lapidem, ut ad bonam frugem reducerentur. Jam enim magnâ comitate eos ad bona opera invitabat; jam minis deterrebat â scelere; ut DEUS se conscio læderetur, omninò pati nequibat. Si quam inter aulæ ministros discordiam gliscere animadvertebat, illicò, ut in amicitiam odio seposito redirent, agebat. Adeò etiam parvi possunt esse Apostoli. Ne despera Parthenophile, modò animus tibi & fervor magnus sit, qui pusillo etiam in corpore potest esse

ipse familiaribus dicebat, non damno, quod parens opibus inferret; sed injuriâ, qua DEUS offenderetur; movebatur. Sed precibus tandem apud DEUM impetravit, ut Parens errore cognito lusu omni abstinuerit, & non sine lachrymis errorem detestatus, dixerit: *non ignoro, unde hæ lachrymæ fluant, sunt hi Aloysij fructus; qui â Deo Optimo Maximo, ut hoc salutari dolore cor mihi suffigeret, impetravit.* Cubicularios, & eos, qui ab obsequijs ei erant, exemplo ad pietatem composuit. Hi enim per januæ rimas frequentiùs Aloysium, quid ageret, observantes, dum continuò ferè orationi intentum viderent, Domini æmulatione & ipsi DEO supplices accidebant. Efficacissimus hic sanè pietatem suadendi modus est: exemplo præire. Jacobum Principem Philippi II. Catholici Regis filium è fenestra prospicientem ventus impetierat, cui ille pueriliter indignatus: *heus vente*, inquit, *tibi, ut molestiam mihi exhibere desinas,*

ſinas, impero. Quorum verborum occaſione uſus Aloyſius, qui cum Jacobo tunc educabatur, eum divini cultûs admonuit. *Potes*, inquiebat, *Domine mi homines tuis dictis obedientes nanciſci; in elementa autem ſolius DEI imperium eſt; cui & te parere oportet.* Hæc ille Regi perhumaniter; ſeveriùs caſtigabat alios, ſiquos DEO maledicentes, aut turpia jactantes inter Aulicos obſervâſſet. Quos in oppido depravatis moribus vivere intellexit, omnem movebat lapidem, ut ad bonam frugem reducerentur. Jam enim magnâ comitate eos ad bona opera invitabat; jam minis deterrebat â ſcelere; ut DEUS ſe conſcio læderetur, omninò pati nequibat. Si quam inter aulæ miniſtros diſcordiam gliſcere animadvertebat, illicò, ut in amicitiam odio ſepoſito redirent, agebat. Adeò etiam parvi poſſunt eſſe Apoſtoli. Ne deſpera Parthenophile, modò animus tibi & fervor magnus ſit, qui puſillo etiam in corpore poteſt eſſe

maximus, Apostolus esse, & Zelum tuum egregie testari potes. Una monitio, quæ venit ab æquali, plùs in juvenibus proficit, quàm centum moderatorum correctiones. Ut enim parvi ætate sibi pares amant tenerius, ita ab ijs partem in omnem flecti se facillimè patiuntur. Frater fratri ut lupus, ita & Angelus esse potest, â malorum revocare consortio, hortari ad pietatem, ad magnæ DEI Matris cultum, aliáque pia provocare potest. Apostolum itáque imposterum age, vis modum? accipe: primò æquales tuos pio sermone ad integritatis amorem & pretium, ad vitanda innocentiæ pericula, ad mortificationis opera invita; dein exemplo, hoc enim efficacissimum suadendi genus est, ad Sacramentorum frequentiam, ad orationis assiduitatem cöætaneos provoca, vel domesticos famulos ad DEI cultum, peccati horrorem, relatis, quæ vel in Schola vel templo didicisti, motivis exstimula; demum; si aliter
non


B. Aloysius claram et distinctam vocem ex imagine B. V. audijt, qua Soc: JESU ingredi iubebatur.

Der S. Aloys. wierdt von vnser Fraüen bildt mit khlarer stim vermahnt die *Societet JESU* einzütreten. 42

non p
hæret
ditan
pero
tiam
Ha
ren
dim

B.

N
que
lice
huc
ſui
enir
nen
lum
illis
vita
ob
qu
ſit



non potes, precibus pro gentium & hæreticorum conversione, pro periclitantibus de innocentia apud Deum perora; & in magnum tu pusillo etiam in corpore Apostolum evasisti. Hæc futuri aliquando Zelosi in quærenda animarum salute JEsu Socij rudimenta ponebat Aloysius.

Caput XVI.

B. Aloysius de statu vitæ deliberat, ac statuit.

INter prima Matris Aloysij vota semper fuerat; ut filiorum aliquem DEO in Religione famulantem liceret intueri. Quod tenellus adhuc cùm audiret Aloysius, eam voti sui compotem futuram asserebat. Jam enim inde à teneris pium ad Religionem affectum sentiebat, cum ejus Alumnis libenter conversatus, vix ab illis avelli posse videbatur. Quorum vitæ normam, agendíque rationem ob oculos ponens ita secum ipse loquebatur: *Viden Aloysi, quàm beata sit religiosè acta vita? hi Patres omni-*

mnibus sæculi laqueis expediti, omnes peccandi opportunitates procul habent. Tempus omne quod cæterorum hominum vulgus caducis divitijs, fallacibúsque gaudijs persequendis tribuunt, id illi in contrahendis immortalibus opibus collocant, atq; his lucris, quæ simul ingentia sunt in DEUM merita, sibi illum æternùm obstringunt; neq; metuunt, ne frustra pro pietate labores illos sustineant. Sunt Religiosi homines illi demum, si qui alij, qui in degenda vita rationem ducem sequuntur, neque sensuum cupiditatúmque dominationi sunt obnoxij. Non illi honores ambiunt, non terrestria & labentia bona loco ullo ducunt, non agitantur æmulationis stimulis, non inhiant aliorum fortunis: uno DEI servitio, cui servire regnare est, beati: quid verò admirabilitatis habet, si tranquilli semper & læti, neque mortem, neque DEI tribunal, neque inferorum supplicia reformidant? animos scilicet habent nullius criminis conscios. Quid? quòd dies & no-

ctes

ctes cœlestes divitias accumulant, quandoquidem nunquam non rebus pijs operati, aut cum DEO semper aliquid agunt, aut DEI causâ. Testimonium igitur innocentiæ, quòd eis conscientia ipsa tribuit, intimam animis pacem tranquillitatémque conciliat: è qua tum serenitas, quæ in vultu notatur, tum spes minimè vana cœlestium opum promanat. Et quibus non gaudijs efferuntur, cùm reputant, cui serviant, & in cujus cohorte ævum degant? tu verò quid agis? quid cogitas? quid est, quamobrem hoc vitæ genus deligere nequeas? prospice jam nunc animo, quæ illis â DEO præmia sint proposita. His permotus annum undecimum vixdum egressus, jam tum Marchionatum, sibi primogenituræ jure debitum ponere cogitabat. Sed hìc cum vaniloquis illis juvenum seductoribus agam, qui teneriori in ætate de statu vitæ cogitare prohibent, quasi necdum satis rem hanc tantæ molis intelligant. Vetus hæc dæmonis versutia est.

Quò quis innocentior, tantò divinæ inſpirationis capacior eſt. Parvulos ad ſe venire Salvator voluit. Non amat tarda molimina Spiritûs ſancti gratia. Tu ſanè Parthenophile quid vani dicant, non attende; hoc cura, ut licet ante completos pubertatis annos exequi nequeas, quàm primùm tamen Dei voluntatem, quid tecum fieri velit, ſcire coneris. Vis modum? Aloyſius te docebit: qui ne hic ineundæ Religionis affectus parum ſolidus cum tempore evaneſceret, his DEI voluntatem medijs ſtuduit intelligere. Primùm vitâ innocenti, & peccati omnis vacuâ ejus gratiam demereri ſatagebat; fruſtra quippe lumen à DEO poſtulat, qui cor ſordibus plenum habet. Hebdomadariâ dein, eáque devotiſſimâ Communione pro mentis illuſtratione DEUM precabatur; nullum enim ibi dæmonis ſuggeſtio locum invenit, ubi cor DEUS præſens occupavit. Frequenti pariter librorum ſpiritualium lectitatione DEI voluntatem

tem indagabat; per hos nempe sua DEUS sensa nobis manifestat. Ad hæc sæpius iterata consiliorum, motuúmque suorum cum confessario communicatione certa à dubijs discernere satagebat; nempe Vicarius is DEI est, per quem suam DEUS explicat voluntatem. Demum continuâ, & maximè devotâ ad B. Virginem, quæ Mater est nostræ salutis, supplicatione vocationis lumen implorabat: quâ etiam, quod petebat, obtinuit. Dum enim Anno 1583. Luce Virgini in cœlos Assumptæ sacrâ, multùm antè precatus, Sanctissimáque Eucharistiâ refectus, agendis coram altari Deiparæ DEO gratijs, impetrandóque per Matris merita lumini, insisteret, ut quid tandem se DEUS fieri vellet, edoceret; ecce tibi vox hæc clara miniméque dubia ex imagine ad Aloysium labitur. *Societatem JESU ingredere, consiliúmque hoc Patri confessionum tuarum Præsidi revela.* Quid hîc mentis, quid solatij credam fuisse Aloysio?

Accensus hoc dicto animus, jamque firmior, nullam priùs quietis partem invenit, quàm, quod tam sanctè suadebatur, explevisset. Eâdem adhuc die conscientiæ suæ Præsidem, Ferdinandus Paterno è Soc. JESU is erat, convenit; rémque ut gesta est inter dulces lachrymas ex ordine narrat; ardentissimis, ut poterat, precibus insistens, cum ijs, qui Societati præsunt, agere velit, ut desiderij sui quantocyùs compos efficiatur. Hanc tu à SS. Virgine gratiam, Parthenophile, sperare tantò minus potes, aut debes, quantò ab innocentia & sanctitate Aloysij remotior es; id tamen sanctè polliceri ausim, si Mariam conscientiâ purâ & filiali confidentiâ, tenerâ cum pietate, sincerè consulas, eos illa cordi tuo motùs, & menti cogitationes ingeret, quæ animæ tuæ sint maximè salutares; modò, ut Aloysio illa præcepit, eas tu animæ tuæ Præsidi communicare non subterfugias. Nec DEUM, nec Deiparam, nec Angelum, vocatio-

nem

B. Aloysius à Patre veniam Societatem Iesu ingrediendi petit, sed minas impetrat.

Der S. Aloys: begehret von seinē H. Vatter erlaubnüs die Societet einzutretten, wierdt aber scharff bedrohet.



nem
habe
ille
dit

B.

O
ba
acc
tris
ad
Co
den
Vir
jori
dio
mir
nut
ope
mif
mag

nem tibi in aurem dicturos expecta; habes DEI Vicarium in confessario, ille te docebit omnia. Hunc qui audit, DEUM audit.

Caput XVII.

B. Aloysius Parenti Vocationem aperit, â quo variè impeditur.

QUantò major in Aloysij pectore Religionis adeundæ amor flagrabat, tantò acerbior ei mora omnis accidebat. Proinde cùm absque Matris, Patrísque consensu aditum sibi ad Societatem JESU præclusum â Confessario intelligeret, Matri quidem eo adhuc die, quo consilium B. Virginis audijt, rem aperuit; quæ majori, quàm dici possit, perfusa gaudio pro hac mente filio injecta Numini grates dixit, & in Patre ad annutum promovendo, quam posset, operam filio jam sibi chariori adpromisit. O plures utinam tales orbis matres numeraret! numeraret sanè,

ſi pluris filiorum animæ ſalutem, quàm muliebrem in proles amorem illæ æſtimarent. Nec multò poſt ſubmiſsè ac reverenter Patrem adit Aloyſius, & ſpem inter metúmque veniæ dubius efficaciſſimis, quæ fervor dictabat, verbis animum ſuum exponit: *ſe nempe rebus humanis valefacere, DEO & proximo in Societate JESU famulari decreviſſe.* Quâ petitione, quantò ea minùs expectata erat, tantò vehementiùs in iras actus Pater, duris filium increpat, immaturum inconſultúmque judicium damnat, pueriles arguit impetus, faceſſere deníque jubet ex oculis, minatus: nî conſilio recederet, temeritatem virgis luiturum. *Utinam*, imperterritus reponit Aloyſius, *eo me beneficio DEUS dignetur, ut iſtud ejus, ac ſanctæ vocationis amore perferam.* O Patres, erravi, tyrannos dicere debebam, qui datis prolibus corpus, & animam perditis! quanti vos ſceleris reos facitis, dum filios à DEI obſequio revocatis? Nihil plus filio profecit

fecit mater, quæ dum pro eo Religionem adeundi veniam rogat, in suspicionem venit, quòd majori erga Rudolphum amore victa, huic præ Aloysio collatam velit Marchionis hæreditatem. Interea nullam intellectâ filij mente quietem capiebat Marchio; necdum ira resederat, dum in Patrem, qui confitenti Aloysio aures dabat, ad se evocatum, ob cogitationem hanc primogenito suo injectam, verbis, quæ præceps furor suggessit, acerbiùs invehitur: mitigâsse furentis impetum mollis Patris responsio videbatur; irâ enim tantisper sepositâ nova capere consilia, & quem minis non potuit, blanditijs ab instituto revocare filium constituit. Ergò suavissimis vocatum verbis alloquitur, eíque fractam valetudinem suam, subditorum necessitatem, expectationem Cognatorum, hæreditatem opimam, titulos, Imperatoris, Principúmque favorem, spes deníque maximas proponit; ut daret hoc mœsto Parenti, cui etiam

lege

lege divinâ obedire juberetur, solatium, hortatur; eum etiam in sæculo multa præstare bona, & per hæc salutem consequi posse asserit; precibus addit promissa, paternúmque filio sinum aperit, si meditata recuset. Sed surdo fabula: lachrymas dedit pro responso, quêis Patris deflebat cœcitatem, quòd caduca bona pro æternis sibi afferre non vereretur; donec singultibus tandem pressis hæc Patri reposuit: *Equidem in tua me Pater potestate stare profiteor. De me ut lubet statue; veruntamen tibi denuncio, me à DEO ad Soc. JESU vocatum esse; itáque dum hac in re mihi resistis, DEI voluntati obsistis.* Dignum juvene Spiritu DEI pleno responsum! plus nos erga DEUM, quàm Patrem urget obedientia; qui amat Patrem, plus quàm DEUM, nec DEO, nec cœlo dignus est. Hìc obedire Patri scelus est, non pietas; nemo Patrum pro filio respondebit in judicio. Nihil te moveant tuorum lachrymæ, ne tibi æter-

ternas lachrymas parias. Aloyſio fixum erat : *nunquam eò ſe adductum iri, ut Patris gratiæ causâ irato DEO uti vellet ; invito potiùs Patre extorrem toto orbe terrarum errare ſe malle, quàm vel latum unguem à JESU Societatem ineundi deſiderio & recta conſcientiæ lege diſcedere.* Nec pauca erant nec levia rationum momenta, quibus ſe ad tam ſanctum JESU Sociorum conſortium inflammari aſſerebat. Nempe quod præter cœtera, quæ eis cum reliquis communia ſunt, religioſi ſtatûs commoda, hi non otioſo nomine, ſed & vitæ imitatione JESU Socij, conatus omnes, poſt ſuam, ſaluti animarum procurandæ impendant ; quòd multæ his viæ & rationes juventutem DEI metu & Caſtitatis præceptis imbuendi ſuppetant ; quòd peculiare eorum ſtudium in hæreticorum ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reductione, & Indorum, Japonum, Americanorum, totiùs deníque orbis reductione conſiſtat ; quòd ſpeciale omnes

mnes

mnes dignitates Ecclesiasticas, nisi interpositâ summi Pontificis authoritate, declinandi votum emittant. Dicebat enim non id solùm se spectare, quod ad sui quietem, & DEI gloriam quomodocúnque faceret, sed id velle amplecti, ubi majora ad majorem DEI gloriam posset operari, maximè cum è D. Thoma intellexisset; *primùm inter omnes Religiones perfectionis gradum eam obtinere, quæ ad docendum, concionandum, saluti animarum consulendum labores & studia sua conferret.* Hæc aliàque facundus in desideria sua Aloysius. Nihil hic mihi tecum est Parthenophile, ne te ad Religionem allicere videar. Divini hoc Spiritûs officium est, agat ille quod sui est muneris, ubi vult spiret, modò tu admittas; hodie si vocem ejus audieris, noli obdurare cor tuum.



B. Aloysius ad deserendam vocatione à varijs at semper irritò tentatur.

Der H. Aloysius wierdt von villen, offt ünterschidlich, doch vergebens in seinem H. berüeff versucht. 48

B, A

U
fic
tos
pe
qu
de
e
te
pl
pr
co
vi
fr
Pr
li
ni
fc
gr
tt
pa

Caput XVIII.

B. Aloysius variè in Vocatione tentatur, sed irritò.

UBi Parens se nec minis, nec blanditijs quidquam apud filium proficere animadvertit, alios quà Cognatos, quà magnæ authoritatis Principes, ac etiam Religiosos substituit, qui efficaciam, quâ valerent, omnem depromerent, ut eum à Societatis ineundæ consilio avocarent. Mille tentatæ sunt artes, motiva mille, sed plura his Aloysio, quæ reponeret, in promptu erant. Prima, quæ ejus constantiam petebat, machina Provinciarum visitatio fuit, quam cum fratre Rudolpho per omnes Italiæ Principes obire jubebatur; eo consilio: ut hoc lapsu temporis Religionis sectandæ studium sensim evanesceret; vel ut visâ tot Principum dignitate ad ejusdem amorem excitaretur. At oppositum prorsus evenit: paruit quidem, & varios Dynastas of-

ficij

ficij causâ invisit; tantùm tamen abest, ut quidquam â pijs Societatis ingrediendæ desiderijs remitteret, ut spectatis Aulicæ vanitatis exemplis ampliùs accenderetur. Veste deinde auro, Phrygiâ manu splendidissimè contextâ, varióque sœcularis pompæ apparatu uti coactus; nempe ut hoc splendore mens ejus inescata missam faceret religionis paupertatem. Induit eam semel Aloysius, dum Infantem Hispaniarum Ducis Allobrogum conjugem salutavit; postea tamen nunquam ad eam corpori suo vel semel inducendam se passus est persuaderi, simplici atri coloris vestitu contentus. Vestium quippe ornatu adeò non delectabatur, ut detritis tibialibus & consutis, quorum vel postremos homines puderet, uti numeraret in delicijs. Torques aureos, aliáque ornamenta respuebat; quem ornatum eorum esse dicebat, qui corporis gaudia, non qui DEUM sequerentur. Castilione accidit, ut femoralibus uteretur admodum laceris,
quæ

quæ ne â suis visa novis permutarentur, pallio contegebat; donec eo per scalas ascendente, & lapsam è manibus corollam Marianam levaturo, rem moderator observavit; à quo, quod in familiæ suæ dedecus hac lacernâ uteretur, correptus est. Ad Herculem Tanum avunculum vocationis periculum facturum mittebatur; hic convivium magna virorum, fœminarúmque nobilium frequentiâ inter symphoniacos concentus apparavit; ratus, nullibi faciliùs sancta elabi desideria, & spiritum intepescere, quàm inter hilaria & comessationes. Verùm Aloysius omni primùm conatu, ut festivitate illâ sibi abesse liceret, laborabat; precibus tandem victus ita accessit, ut modestiæ ac temperantiæ illis exemplar exhiberet. Irrita videns Tanus consilia, fœminas, quæ illius constantiam tentarent, subornat; bene conscius: has dæmone omni sæpe potentiores ad seducendum esse, nisi in Aloysium incidant: hic etenim ubi â quapiam ea-

rum

rum ad ſaltum invitaretur, in fuga victoriam invenit: clàm enim ſe palatio proripuit, & in deſtinato ſervis conclavi flexis humi genibus earum levitatem deplorans, DEUM ut ſaniora ijs conſilia daret, precabatur. Necdum finis machinarum: his enim eluſis novas Pater meditatus, varios qui Societatem JESU filio diſuaderent, ſubmiſit hortatores: P. Franc. Gonzaga Ord. P.P. Franciſcanorum Obſervantium Generalis, unam alteramuè horam ejus conſtantiam varijs objectis exercuit. Alius è Gonzagarum familia magnæ vir authoritatis conſul ei factus; ſi ſæculum fugere vellet, Societate poſthabitâ, quæ continuò inter ſæculares verſatur, ad Capucinos, Carthuſianos, aliámve familiam â negotijs & curis magis remotam iret. Sed hic: *non ſua tantùm, ſed & proximorum ſaluti ſe, talentáque ſua impendere ſibi fixum eſſe repoſuit. Quod opus hoc divinorum omnium diviniſſimum eſſe, uniúſque animæ ſalutem mille jejunijs, & corporis*

poris austeritatibus prævalere intelligeret; sic se JESUM, propter nostram salutem Hominem factum, proximè imitaturum confidebat. Cæterùm non intelligere se, quânam aliâ viâ, quàm Societatem ineundo, longiùs se à rebus mundi posset disjungere: ubi paupertas sine ulla proprietate, ac vel nummi unius à privato possessione, perfecta, Castitas sine vitij ullius umbra illibata, Obedientia vel ad nutum exactissima, Humilitas, in honorum omnium exclusione, voto firmata, profundissima esset. Fluctu hoc diluto novus intumuit, dum Alphonsus ejus Patruus Societatem JESU Aloysio nimiùm rigidam causatus, hanc adeundi mente movere tentavit; utpote cui victus tenuis & simplex, occupatio cum pueris, conversatio cum infirmis; quæque ob studiorum difficultates, Missionum, Scholarum, Concionum labores, ad hæc ob exactissimam Superiorum vigilantiam, & cœcam prorsus in omnibus obedientiam alijs Religionibus longè diffici-

ficilior videretur. Risu hæc excepit Aloysius: *Etenim si gulæ servire, si vitam otio terere, si commodis indulgere in religione vellet, cælum se sperare non posse,* ajebat; *eò quòd non nisi omnia deserentibus illud pollicitus esset DEUS. Tupe est mundum extra mundum quærere. Victus lautior, splendidior amictus, commodior habitatio, major libertas, vita solutior & laboris expers, cælum non meretur. Vanitatis hæc non Veritatis illicia sunt, Christum sequi volenti plus fugienda quàm expetenda.* Constantiam juvenis omnino labefacturus videbatur Episcopus, vir disertus, â Duce Mantuæ in Aloysium submissus, qui Societatem ei odiosam redditurus difficilem in hoc Ordine perseverantiam multis exaggeravit; cui liberum sit suos etiam votis jam obstrictos manu mittere. Tantùm abest ut terruerit hic Achilles Aloysium, *ut hac ipsa de causa Societatem JESU expetendi animos sibi crevisse,* diceret, *quia sic ab inutilibus & vitiosis purgatum hunc Ordi-*

Ordinem puriorem iis esse credebat, qui perversos (homines enim sumus) *gremio suo fovere eorúmque putrescentium pœdores ferre coguntur. Domum, ex qua sordes per canalem derivantur, ut mundiorem, ita habitationi suæ eligendam esse rebatur præ illa, in qua sordes omnes & noxia quæque congregantur. Nemo ob virtutem è Societate JESU dimittitur, piè vivere volenti nullus hic metus, imo plùs solatij, nam uberiores ea in vinea florent palmites, in qua stolones præciduntur.* Hunc Joannes Archipresbyter Castilionensis, alijque complures, ad infringendam nobilis hujus Candidati mentem secuti, conatu omni adhibito illud demum profecerunt, ut lectissimis Aloysij responsis, rationibúsque victi, desertâ Patris legatione, pro filio starent. Testis est vir Religiosus, ita de Aloysio Cardinalem informans : *Diaboli partes apud hunc Adolescentem agendas mihi imposuerunt; eas, quia necesse erat, quo potui studio & ingenio, sustinui; verùm nec*

hilum profeci : ſtat immotus : percelli nequit. Ita nempe ſtat, qui animum ſemel in bono obfirmavit ; nec mutatione loci, nec veſtium, nec conviviorum apparatu, nec prætenſis rationibus, aut reſpectibus ullis dimovetur. Etiam juvenes ſciunt eſſe conſtantes. Parens, ut nihil intentatum relinqueret, magni in Societate nominis Sacerdotem rogat, ut ſibi perſpectas, uſúque notas Religionis hujus difficultates filio proponendo, mentem ab ea laboret avertere ; egit imperata Pater, & horam ipſam ſine fuco graviſſimâ ratione, quidquid difficultatum ei in Societate accidere poſſet, exaggeravit. Sed hæc omnia deſiderium acuerunt Aloyſij, utpote qui non otij, non honoris, non amoris proprij, ſed Crucis Chriſti, animarumque ſalutis gratiâ Religionem anhelaret. Sic in ſæculo filium retinere deſperans Marchio, illud conatus eſt efficere, ut ad aliam Religionem expetendam filij animum inclinaret ; accito proinde ad ſe, paterni

terni amoris teſtificatione liberaliter præmiſsâ, ſuadet: ut, cùm ſæculi curis vale facere tam pertinaciter decreviſſet, eum iniret ſtatum, in quo Eccleſiaſticarum capax dignitatum familiæ ſplendorem augere poſſet. Non deeſſe promotionis media, non vacantes infulas; Societatem JESU miſſam faceret, è qua omnis ad dignitates tranſitus voti Religione prohibetur. Ad hæc modeſtè Aloyſius: *Atque hæc ipſa una cauſarum fuit, Pater, cur alijs Societatem ſtatibus antetuli. Quòd ſi dignitate ullâ delectarer, fruerer ſanè Marchionis titulo, quem mihi DEUS largitus eſt, nec certum cum incerto commutarem.* Turpe eſt mundi honores fugere, ut novos, & fortè majores aucuperis. Acerbo verba hæc Patris cor dolore ſaucium reliquerunt. Nempe: non eſt conſilium contra Dominum. Si DEUS pro te, quis contra te. Sta viriliter & impugnantes ſuperabis. Diſcat hoc juventus exemplo, & Pa-

trem Matrémque plus quàm DEUM amare dediſcat.

Caput XIX.

B. Aloyſius tandem à Patre Religionis ineundæ licentiam impetrat.

TOt obſtaculis ſibi viam in Societatem JESU retardari quàm difficilè acciderit B. Adoleſcenti, vultus ejus mœſtitiâ plenus ſatis oſtendit; multis lachrymis infelicitatem ſuam deteſtatus, quòd tam illuſtri loco, & quidem cum primogenituræ dignitate natus eſſet. Felices reputabat eos, qui obſcuris orti natalibus liberè, ſine cognatorum remora, DEO vocanti obſequi poſſent. Nec tamen concidebat animo; ſed ut frigore augetur calor, ita B. Juvenis ardor his obicibus majus cœpit incrementum; obſtacula illi calcar addebant, ut quantò plures adverſarij remoras inijcerent, tantò plura ille contrà media veniæ impetrandæ adhiberet; utque tot diſſuadentium conatibus ſuperior

Dum Parens per ianuæ rimam videt B. Aloysium se cædentem, vocationi ejus annuit.

Der S. Aloysius erhaltet dürch sein stete Casteÿüng die Erlaübnüs seinen H. berüeff nachzükhomen. 53

pe
Igr
ma
bis
tat.
tre
der
sup
JES
filiu
Patr
pro
tus
tum
dere
Patri
tenta
mulis
que r
Soc,
ti vel
refer
Juver
ditur
confl
cund

perior esset, animum octiduanis S. Ignatij Exercitijs excultum ita obfirmavit, ut dicere ausus sit: *se nec orbis totius imperio sibi promisso à Societatis JESU aditu impediendum.* Matrem sæpius supplex, ut Patrem tandem in vota sua emolliret, urgebat; supplices ad Claudium Aquavivam Soc. JESU Generalem dabat litteras, consilium rogaturus: num invito etiam Patre, quò DEUS vocaret, Romam profugere sibi liceret? Adeò promptus erat àd DEUM etiam per calcatum ire Patrem. Quod licet dissuaderet P. Claudius, animum tamen Patris, quid in hac re facturus esset, tentare voluit. Rudolphum cum famulis ad Genitorem redire, eidémque nunciare jubet: Aloysium Patrum Soc. Domicilium adijsse, ibi morari velle; nec pedem ampliùs domum referre constituisse. Sed intellectâ Juvenis mente Pater statim, qui reditum urgeret, mittit; filius Patrem constantiâ suâ frangendum ratus, jucundum sibi eò loci commorari re-


nunciat; orare ſe proinde Patrem, ne eam ſibi voluptatem invideret. Hanc non deſerturus, niſi iterato Patris domum revocantis imperio, Patrum etiam hortatu victus redijſſet: At illicò Patri podagrâ lecto affixo ſupplex factus, inter lachrymas abeundi veniam rogat: à quo faceſſere, & ſe ſe conſpectui eripere juſſus, hoc dictum imperium interpretatus, paternâ profugus Religioſam iterum domum ſubijt, nec niſi poſt dies aliquot, à Patre diſceſſum edocto, revocatus comparuit; tantò magis afflictus, quantò minor paterni cordis in vota ſua flectendi ſpes affulgebat. Quare humanis deſtitutus medijs totus ad divina converſus Deiparam, vocationis ſuæ Conſultricem, precibus fatigare, jejunia, corporis afflictationes geminare cœpit; nec unquam SS. Euchariſtiâ refectus, quin ardentiſſimè DEO ſupplicaret, ut tandem aliquando deſiderijs ſuis finem ponere, & omnia, quæ moram inijciunt, è medio tollere potenti dexterâ dig-

naretur. Quinas aliquando horas hanc à DEO gratiam petens implebat. Bene ſpera Aloyſi (aut quisquis eâdem navi veheris) qui dedit velle DEUS, dabit & perficere: differt, non auffert deſideria; conſtantiam vult tuam experiri, quam poſſit prœmiare; gaudent Angeli dum tam ſancta vident deſideria differri, nec imminui. Plerúmque majora experiuntur obſtacula, qui optimi futuri ſunt Religioſi; orcus quóſdam remoratur, ſed tandem juvat DEUS. Ita expertus eſt Aloyſius, cùm enim toties irritas apud Patrem cum lachrymis preces fudiſſet, nec niſi grandes torvo vultu minas impetrâſſet, recepit ſe ultimò, quò abire jubebatur, in conclave; ubi clauſis foribus DEO ſupplex accidit, nudatóque ante Chriſti effigiem dorſo, acribus in ſe flagellis deſævijt, ut fortem conſtantémque tot inter obices animum impetraret. Quod dum agit, Pater inſcius, oppidi Præſidem, qui filij actiones obſervaret, ablegat;

hic oppessulatas fores reperiens pugione sibi rimulam aperit, per quàm videt Aloysium nudato tergo, nudis item genibus coram Crucifixi effigie nixum, lachrymantem, & verberibus in se crudeliter sævientem. Quo commotus spectaculo lachrymas premere impos, re Marchioni relatâ vix fidem invenit; sed postridie dum lanienam repeteret Aloysius, Pater monitus, è lecto in sella per bajulos eò se deferri jubet, & rimulæ ejusdem beneficio eadem observat. Commovit hæc filij pietas durum hactenus Patris pectus, & quasi alienatâ mente stupentem reliquit. Luctari hic Parentis animus: inde religio, hinc amor filij cor laniabat; ex quo duello tantus eum mœror incessit, ut magnam senex lachrymarum vim profunderet, donec Juvenis constantiâ fractus sic eum affatur: *Vulnus, fili mi, cordi meo inflixisti, qui te amo, semperque amavi merito tuo, atque in te spes omnes meas, familiæque nostræ defixeram: jam verò quoniam*

B. Aloysius Marchionatum et opes
Rudolpho Fratri minori resignat.

Der S. Aloysius übergibt das Margraff-
thümb undt alle Würde seinem Jüngern
Brüeder. 56





aliò te, ut ais, DEUS vocat, non equidem ultrà te morabor. Vade fili mi, quò tibi collibitum est, & id ut bene, & feliciter eveniat, precor. Quis lætior his auditis Aloyſio? miſcuit paternis lachrymis ſuas, ſed non mœroris, at gaudij teſtes; actis, ne Patris dolorem augeret, breviter gratijs, ſuum ſe reduxit in cubile, ubi remotis arbitris in terram proſtratus, panſis brachijs, DEO pro impetrata venia gratias reddidit, eidem ſe in victimam, & holocauſtum pepetuum devoturus.

Caput XX.

B. Aloyſius ſe Marchionatu abdicat.

OBtentâ Patris veniâ ſtatim ad diu deſideratam ſibi ſtationem, id eſt Romam ad Tyrocinium Soc. JESU convolâſſet Aloyſius, niſi de abdicatione Marchionatûs jam pridem ipſi à Cæſare decreti tabulæ priùs conficiendæ, ac â Cæſare approbandæ re-

ſtarent. Has proinde illico confici, & quibuſcumq; demum vellent clauſulis perfici urgebat; quid quid in ea re Marchioni viſum fuerit, ſibi charum fore; dummodò quàm citiſſimè temporalibus omnibus expeditus ad Religionem evolare poſſet. Confectæ itáque eo tenore ſunt litteræ, ut Aloyſius omni Paternâ ditione, & clientelaribus opibus, quæ ad eum hæreditate venirent, ſe abdicaret; atque ex omni copia in præſenti duo ſcutorum millia, dum viveret verò, in ſingulos annos 400. ſcutatos ſibi haberet. Verùm quia hæc annua pecuniæ ſuppeditatio Soc. JESU Paupertati contraria eſt, tabulis illis expuncta eſt. Anno proinde 1585. quarto Nonas Novem. Mantuæ, in palatio S. Sebaſtiani, in magna Virorum Principum frequentia, rebus omnibus temporalibus, & jure ad illa, ornamentis & opibus, palàm ſe abdicat, Marchionis titulum, & inſignia in fratrem Rudolphum transfert. Parens dum litteræ legebantur,

tur, fletui modum ponere nequibat. Aloyſius contrà, ſe votorum ſuorum metam attigiſſe gaviſus, tantis etiam in vultu incedebat lætitijs, ut Illuſtriſſimus Proſper Gonzaga negaverit, unquam lætiorem viſum fuiſſe Aloyſium. Alteri primæ dignitatis viro dicenti: *ſe credere magnam Rudolpho gaudij materiam hâc abdicatatione fuiſſe datam*, reſpondit: *non tanto illum ſibi gaudio ſucceſſiſſe, quanto ipſe illi deceſſiſſet.* Subditi Dominum ſibi eripi advertentes inter abundantes lachrymas ita infelicitatem ſuam querebantur: *Domine Aloyſi, quid nos ita deſeris? nactus es provinciam tam amœnam, clientes tam humanos, qui te non illo ſolùm amore diligunt, quem erga ſuum Principem cuique natura inſevit, ſed in te eximiâ præterea pietate feruntur. Tu nobis in amoribus, in te ſpes noſtræ ſitæ erant; & jam, cùm maximè expectamus, ut rei noſtræ publicæ gubernaculis manum admoveas, à nobis avelleris.* Quibus ſubridenti ſi-

milis ita satisfecit. *Ego verò vobis profiteor, velle me mihi coronam è cœlo petere; nimis magni negotij est, hominem ditione & principatu præditum æternam salutem consequi. Nemo potest duobus Dominis servire, mundo & DEO. Mihi certum est salutem meam in tuto collocare, idem & vos studete.* Ita subditis ille, sed & tibi, Parthenophile, dictum puta. Quid opes, quid honores tibi proderunt, si animæ salus vocetur in discrimen? pereunt illa cum tempore, manet æternitas, quid cor his affigis? immortalis animus temporalibus non expletur, fallunt ista, non satiant. Avarus est, cui DEUS non sufficit: satis dives est, qui opibus mundi contemptis centuplum accipit in hac vita & in altera vitam æternam. Abdicatione transactâ, curis omnibus exolutus privatum recedit ad cubiculum Aloysius, ubi gratulabundus se in genua abijcit, infinitas toto pectore gratias DEO dicens, quòd se optato Paupertatis thesauro dignatus esset;

ſet; tantis interea pectus ſolatijs abundabat, ut poſtea dicere ſit ſolitus: ſe illam diem inter feliciſſimas numerare, ſenſiſſéque præcipuè ſibi gratiam Dei præſentem. Vis habere ſolatia cœleſtia, terrena deſere. Unum ſpirituale cordis ſolatium plus delectat, quàm mille corporis voluptates. Perſolutis Deo gratijs, Sacerdotem Ludovicum Cataneum ad ſe accitum rogat, ut veſtitum, quem ſibi Societatis ad morem, atro è panno clam omnibus curaverat, benediceret, has jam benedictione ſacratiores, depoſito ſœculari ornatu induit, ſicque transformatus in Principum virorum coronam, qui eum in palatio operiebant, ſe infert, illis rei novitate attonitis, ducto è re nata ſermone de innumeris peccandi periculis, quibus obnoxij ſunt illi, qui ſæcularibus immerſi ſunt curis; de aditu æternæ ſalutis apud eos difficili, qui opibus florent & honoribus; de cura, quam quiſque ſalutis animæ habere obligatur, diſſeruit: eâ tum authoritate, tum ef-

ficaciâ, & divini Spiritûs impetu; ut viri Principes attoniti dicentem audierint, ac ejus sermonis diu poſtea memores vixerint.

Caput XXI.

B. Aloyſij Romam ad Tyrocinium iter.

CUris expeditus omnibus, poſitâque Marchionis dignitate jam liberior, eò, quò tot jam annos anhelabat, ad Societatis JESU Tyrocinium iter arripit Aloyſius. Patris, Matríſque pedibus obſequens filius, paternam ab ijs benedictionem accepturus, advolvitur. Quas hîc utérque lacrimas Primogeniti humeris poſtremùm incumbentes fuderint, quis ſatis aſſequatur? Pater certè cordis ſibi dimidium evelli vix ægriùs tuliſſet; Mater quóque, licèt Deo filiorum aliquem in religione ſervire ſemper optaverit, hunc tamen, quem non niſi ut Angelum & amabat & reverebatur, eripi non ſinè dolore ſen-

tie-

B. Aloysius ad Tyrocinium Societatis IESU itûrus Patri, Matri, ſuis vale ultimum dicit.

Der S. Aloysius beürlaübt Vater ündt Müetter ündt rayſet in das Probierhaüß der Societet IESU. 58





tiebat. Stabat hos inter Parentum gemitus erectus, & ad hilaritatem maximam compositus filij animus, qui in exteriorem vultûs lætitiam effusus luculentè se prodebat; gemitus ut ponerent, omnes hortabatur. Interea rumor, qui discessurum Romam Aloysium vulgaverat, urbem excivit in spectaculum abeuntis: nam homines in plateas, & fenestras effusi, ultimùm quísque tam nobilem sæculi comtemptorem videre avebat. Plurimi lamentis compita replebant, quorum incurius, paucis comitatus itineri se accingit; quod ipsum mera pietatis erat continuatio, peregrinationi devotionis causâ susceptæ, quàm itineri similior: vel enim precibus Deo recitandis, vel rerum cœlestium contemplatione mentem occupabat. Mane, simul ac lecto surrexerat, quartam horæ partem vocali orationi dabat; dein horarum Canonicarum parte, ac itinerario, persolutis iter auspicatus, per multa passuum millia à viæ comitibus avulsus ibat,

ut quà preces quotidiani exercitij, quà meditationis diurnæ pensum commodiùs Deo litaret. Adeò plura ille itinerando, quàm alij domestico inclusi conclavi, pietatis exercitia frequentabat. Ubi hospitium attigit, dum frugalis cœnula parabatur, se remotiùs abdebat in conclave, solicitus, num quam Crucifixi, coram qua precaretur, iconem reperiret. Si nulla esset ad manum, atramento vel carbone (vide quàm ingeniosus amor sit) Crucem in charta efformabat; ante quam in genua prociduus, unam pluresvé horas affectibus suis indulsit. Ad lectum concessurus, licet asperior rigeret hyems, eum nunquam calefieri, aut vestes per alios sibi detrahi, sustinebat; sed solum se recondebat in conclave, ut tum quotidianæ flagellationi, tum gemitibus & singultibus, quos amor in Deum frequentes exprimebat, liberiùs vacaret, quos tanto ardore fundebat, ut hospites rerum inscios in admirationem evocaverit. Si quam urbem, ubi Soc. JE-
SU

SU domicilium erat, adivit, ante omnia Collegium ingressus, in ædem sacram SS. Evchari̇stiæ salutandæ causâ se conferebat; tum demum PP. salutatione & alloquijs frui cœpit. Hac ratione Romam ad S. Andreæ Soc. JESU tyrocinium, tanquam mille cupitum suspirijs portum, properabat Aloysius; quò priusquam appelleret, voti, quod in partu Mater ediderat, memor, etsi illud Jubilæi tempore justis de causis in alia pietatis officia commutatum, expletúmque jam fuerit, tamen ut pietati suæ quâ in SS. D E I Genitricem tenerrimâ ferebatur, velificaret, ad ædem Virginis Lauretanam invisendam digressus est. Ubi dici non potest quantâ pietate sacrum illum locum veneratus sit; horis pluribus in devotione transactis, affectui suo finem modúmque ponere non posse videbatur: nunquam à loco illo pleno pietatis avellendus, nisi sanctæ vocationis amor ultrò iter urgendum persuasisset. Hîc ille pro vocatione Dei Matri gratias

agens,

agens, novas pro virtutum in religione progressu petere; JESU Socius futurus hîc se filium Matri devovere placuit. Nemo verus est JESU Socius, nisi filius sit Mariæ. Peculiari sorte Mater Societatis JESU videtur esse Deipara; quæ sæpius S. Ignatio visa, ei novi Ordinis dictavit regulas; próque Religionis ab eodem institutæ propagatione sollicita plures, ut eam ingrediantur, admonuit; omnes ejus Socios materno affectu sub suæ protectionis pallio fovere conspecta. Beatos sanè! qui & à JESU amantur ut Socij, & à Deipara foventur ut filij.


Caput XXII.

B. Aloysius Romæ ad Soc. JEsu admitti petit.

QUia nescit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, incitatissimo, quo potuit cursu, Mantuâ Romam properabat, imò volabat Aloysius. Nulla illum virorum Principum, nulla

B. Aloysius á P. Claudio Aquaviva Generali ad Societatem IESU suscipi flexis genibus rogat.

Der S. Aloysius begehret khnüendter von P. Claudio Aquaviva in die Gesellschafft IESV aufgenomen zuwerden.



ca
fu
ru
en
hu
ut
fet
dic
bu
ac
ner
nef
Mo

la cognatorum visendorum opportunitas, non invitationes, nec festivitates publicæ morari poterant, utpote cujus desiderium omne Roma, & in hac Sanctæ Religionis quantocyus auspicandæ amor occupavit. Huc ut appulit, sine mora domum Professorum Soc. JESU adit, ubi Patrem Claudium Aquavivam, universæ tum Societati Præpositum Generalem, excipiendo tam nobili hospiti ad domûs hortum obviam offendens, illicò in genua coram eo procidúus efficacissimis, ac potuit verbis, ut in subditorum & filiorum Dei numerum, in Soc. JESU admitteretur, enixè supplicavit; idquè tantâ egit humilitate ac fervoris testificatione, ut ægrè â terra avelli, excitaríque posset. Comiter acceptus à P. Claudio, debitæ salutationis officia, quibus deberet, Cardinalibus exolvere, ac dein redire jussus: Paruit & Eminentissimos S. R. E. Cardinales, Farnesium Alexandrinum, Estensem, Mediceum invisit: exceptus ab om-

nibus,


nibus, ut merebatur ejus virtus, cum admiratione, nec ſine propoſiti tam ſancti profusâ commendatione. Ab his ad Sixtum V. Pontificem Maximum admiſſus; pedibus de more oſculum tulit, & litteras â Patre Marchione tradidit. Delectatus Juvenis conſpectu Pontifex, multa de Religionis ineundæ conſilio, de vocationis hujus primordijs multa rogitat: difficultates Religionis hujus perſpectas haberet, num ritè omnia examinâſſet? cúmque ſingula ſibi pridem cognita, meditatáque aſſeruiſſet, collaudavit tam ſancta deſideria Sanctiſſimus, utque cederent quàm fauſtiſſimè, ſacrâ benedictione precatus, magna cum amoris ſignificatione dimiſit. Hinc ad ſeptem celeberrima in Urbe templa viſenda converſus, incredibili ubíque pietate loci Sanctitatem veneratus, Dei, Virginis, Sanctorúmque patrocinio diu poſtulato, die poſterâ cum illuſtriſſimo Patriarcha Scipione Gonzaga, in cujus ædibus diverterat, menſæ in communi

Do-

Domus Professorum triclinio adhibitus est. Ubi pariter illustre caduca spernentis animi specimen edidit: nam eo, qui pro recepto Religionis more super mensam legebat, tacere jusso, Aloysius, ut verba de suggestu faceret, missus; eo fervore ac gravitate dixit, ut præter alios Patriarcham ejus tum modestia, tum compositissimi mores, tum verborum energia in admirationem traxerint. Fassus ipse, non parum mirari se, quomodo Adolescenti dictionum adhuc inexperto nullum verbum excideret, quod incassum sine pondere laberetur. Ex affectu nempe & abundantia cordis loquebatur, dum Aulici honoris inanitatem, voluptatum cum turpitudine brevitatem, divitiarum tot cum curis tanta salutis pericula generosus mundi contemptor & verbo docuit & exemplo.

Doluisse sanè Patriarcha, sanctéque invidisse Aloysio visus est, quod non paria quondam consilia inijsset. Optâssem sanè te quóque tam præclari specta-

ſpectaculi participem fuiſſe Parthenophile; didiciſſes hic, quàm vana, quámque periculis plena ſint eorum ſtudia, qui & opibus florent, & honoribus, & delitijs affluunt, & commodis? ſed quamdiu? tranſeunt iſta citiùs, quàm putentur: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Didiciſſes eorum, qui è ſæculo ſalvantur, paucitatem; quorum animæ denſiſſimarum inſtar nivium horis ſingulis in orcum præcipites feruntur; & ſaniora ex his conſilia, viamque cæli tutiorem eligendam eſſe, indubiè didiciſſes. Sed nihil etiamnum neglectum eſt; audi hæc, & ſimilia intùs monentem Spiritum, & ſalva res eſt.



PARS

B. Aloysius Tyrocinium Salutat: Hæc requies mea in Sæculum Sæculi; hic habitabo!


Der S. *Aloysius* begrüeßet den *Novitiat* mit disen worthen: da ist meine Ruehe in alle ewikheit: da will ich wohnen! 63



B. A

T

ube
mi
17.
die
grat
anni
Soci
And
ille
is ,
com
Don
tes c
lutis
Lud



Vita Religiosa.

Caput I.

B. Aloysius Religionis Tyrocinium ingreditur.

TAndem post tot vota & suspiria, milléque difficultates exhaustas, uberi Deus constantiam Aloysij præmio remuneratus est, dum ei annos 17. menses 8. dies 16. ætatis nato, die D. Catharinæ sacro (quem in grati beneficij memoriam quotannis anniversario cultu solennem egit) Societatis JESU tyrocinium ad S. Andream in Quirinali aperuit. Huc ille lætus, si unquam, & hilaris multis, ac imprimis Scipione Gonzagâ, comitatus ubi pervenit, in extimo Domûs limine ad suos Mantuâ comites conversus, ut primam æternæ salutis curam haberent, admonuit; Ludovico dein Sacerdoti, ut redux

Patri

Patri Matríque salutem, atque hæc insuper verba diceret, imposuit: *Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. Psalm. 44.* Qærenti, num, & quid Rudolpho fratri dici vellet? illa Ecclesiastici verba nunciari voluit: *Qui timet Deum, faciet bona.* Demum Scipioni Patriarchæ, qui egregiam ei pro impetrando in Societatem aditu operam navaverat; immensas toto pectore gratias repetens, ab omnibus avulsus, ad tyronum Magistrum P. Joannem Baptistam Piscator, tenero tanquam filius ad Patrem affectu, conversus, se totum ejus nutibus formandum obtulit. A quo in cubiculum inductus, ac impertito, Religionis nostræ more, amplexu tyro salutatus est. O quæ tunc B. hujus Novitij pectus impleverunt gaudia, qui suavissimæ pietatis sensus mentem occupavit? non cubiculum, sed cœlestem quendam paradysum ingredi se ratus, intimi, quod pectore sentiebat, solatij impatiens, in hæc verba prorupit: *Hæc*

requies

requies mea in sæculum sæculi; hîc habitabo, quoniam elegi eám. Beatus qui hæc intelligit, Parthenophile, nemo nisi expertus novit, quanta sint sincerè Deo servire volentium solatia! non patitur se vinci liberalitate Deus; qui totum mundum cum spe omni, ac re Dei amore generoso pede conculcat, uberiora è cœlo totius mundi gaudijs & turpibus voluptatibus solatia experitur. Una stilla cœlestis in religione solatij superat omnes delicias mundi: vanæ sunt hæ, sunt turpes, sunt inconstantes; illud & purum, & sincerum, & perpetuum est. Sed non omnes capiunt verbum hoc! animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs; ubi aquila deliciatur sole, ibi sus recreatur in luto. Ubi solum se, dilapso religiosæ vitæ Magistro, cum Deo suo in conclavi advertit Aloysius, in genua se demittit, centum sacræ hujus ædis pavimentum osculis veneratus; viles has brevis cubiculi angustias præsumptuosis Princi-

F pum

pum palatijs, pannosam vestem, pro Regum paludamento præferebat. Oculis fletu, quem divinus amor ciebat, madentibus, ardentissimas inter preces primùm quidem Deo pro nunquam satis æstimabili tam sanctæ vocationis beneficio gratias immortales dicere, tum seipsum in perpetuam victimam & divini honoris procurandi holocaustum, ad ardua quæque ejus, & animarum amore perferenda offerre; tum demum felicitatem suam considerare, quòd ereptus Ægypto, ex mundi servitute in terram hanc lacte & melle cœlestium gaudiorum manantem sit deductus. *Beatam dicebat horam, quâ hanc ei Deus mentem indidisset, ut in Sociorum JESU numerum peteret cooptari.* Adhæc divinissimæ Matri, vocationis suæ Consultrici, in obligatissimæ graditudinis pignus sese, si mille vitas haberet, totum dicabat; unum id obtestans, ut cujus favore tam sanctæ vocationis certitudinem assecutus esset, ejusdem protectione per-

B. Aloysius frequenti rerum cœlestium consideratione terrena contemnere discit et docet.

Der S. Aloysius lehrnet ündt lehret das Irdische aüß betrachtüng deß Himlischen züverachten. 66

seuer
sanct
ad R
ster
æ sp
situ
cesti
stina
tis t

B. A

A

mati
Deo
illud
præfi
Eo q
ium
gent
minu
dina
quer
tissi

ſeverantiam impetraret. O quàm ſancta, quàm felix Dei gratia eſt: ad Religionem vocatio! eſt Character electorum, arrha ſalutis, beatæ ſpes æternitatis, ſponſio cœli, beatitudinis cynoſura, amoris divini teſtimonium, & certiſſimum prædeſtinationis ſignum, æternæ Veritatis teſtimonio juratum.

Caput II.

B. Aloyſij per Orationem cum Deo conjunctio.

A Sœcularibus jam plenè abſtractus, totus ad æternarum rerum æſtimationem, & ex hac ad inimam cum Deo Unionem rapiebatur Aloyſius; illud ſibi Religioſi axiomatis locò præfixum conſtitutúmque habens: *Eo quemque Religioſiorem, magisque pium futurum, quò ſuam vitam diligentiùs ſecundùm rationes æternas, minus verò ſecundùm temporales ordinaverit.* Quod ut perfectiùs aſſequeretur, totum orationi, illi potiſſimùm, quæ ſolâ mente perficitur,

ſe dabat : quam virtutum nutricem, & compendiariam ad perfectionem viam eſſe judicabat : dicebàtque fieri non poſſe , ut qui precandi minùs ſtudioſus ſit, plenâ unquam & diuturnâ de ſeipſo victoriâ perfruatur. Adeò huic deditus erat, ut omnes ejus deliciæ eo præcipuè tempore , quo meditandum erat , definirentur.

Primam quidem commentationis artem nullo , præterquam Dei amore Magiſtro , didicit, ſed ex longo dein uſu tam præclara ritè meditandi præcepta hauſit , ut cùm ea Bellarmino, dein Cardinali , communicâſſet ; hic ubi meditandi capita , ut in Societate mos eſt , alijs traderet , quoties præclarum aliquod ad hanc rem documentum occurrit ; ſe id ab Aloyſio didiciſſe, tantus Vir palàm fateretur. Ritus meditandi hic ei conſuetus erat, ut lectis priùs , quæ meditandæ erant , materijs , antequàm orationi ordiendæ ſignum daretur, mentem curâ omni & appetitione ſolvere niteretur. Dicebat enim :

Si-

Sicut agitata ventis aqua adſtantis hominis effigiem, vel quòd turbida ſit, omnino non oſtendit; vel ſi limpida eſt, non membra omnia cohærentia, ſed ſparſim quaſi conciſa, & diſperſa repræſentat: Ita etiam hominis animum, qui inter contemplandum contrarijs perturbationis fluctibus confligetur, aut affectibus deſiderijsque commotus rapiatur, negabat, ad imaginem DEI referendam, aut ullam tantæ Majeſtatis, quam conſiderat, ſimilitudinem arripiendam, ullo modo aptum aut præparatum eſſe. Diſpoſito ſic animo, datóque ad precandum ſigno DEUM, quem ſibi præſentem agnoſcebat, genu flexo reveritus, tantâ induſtria mentem, ne quam aliam in curam dilaberetur, arcebat, ut ne ſpuendi quidem neceſſitati parere ſuſtineret. Oculis, ne cujus rei viſæ ſpecie diſtraherentur, plerúmque clauſis, vires omnes ita intendebat, ut, evocatis ad mentem ſpiritibus vitalibus, corpus tanta debilitas occuparet, ut vix pedibus

consiſteret poſſet. Alienatâ à ſenſibus mente ſæpius extaſim paſſum ex eo patuit; quòd ſenſuum officio deſtitutus nec loquentes, nec ullum unquam ad ſe, toto quo in Religione vixit tempore, inſpiciendæ, ut moris eſt, orationis causâ veniſſe, animadverterit: imò finitâ meditatione ne locum quidem, in quo conſiſteret, agnoſcebat. Quâ animi recollectione eam, quæ ſanè rara eſt, â DEO prærogativam obtinuit, ut ſi omnes mentis evagationes, quas ſex menſium ſpatio paſſus erat, in unum cogerentur, eam omnem moram, ut ipſe quærenti de hoc Superiori candidè faſſus eſt, ſpatium, quo una ſalutatio Angelica recitari poſſet, non æquaturam. Adeò facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam; ſæpius fortè â nobis ipſis, quàm à dæmone diſtrahimur. Quamquam, quid mirer Aloyſium orationis tempore ita collectum, quando ei familiare fuit, totum diem medias etiam inter corporis occupa-
tiones,

tiones, manuúmque labores, qui occurrebant, Deo inhærere. Dúm mensas in triclinio sternebat, ut mentem ad divina collectam servaret; eam, cui Rector assidebat, mensam Christi, vicinam Deiparæ, reliquas aut Angelorum aut Patronorum esse cogitabat; nec minùs accuratè ijs serviebat, quàm si Deo, aut Deiparæ præsentibus præstaret obsequium. Ut verissimè dici possit: totam ejus vitam in Religione actam perpetuam orationem fuisse. Quia verò hac intensione perpetuâ debiliari caput, & minui vires observabant, quibus curæ sumus, Superiores; orationis tempus contrahendum ei duxerunt; vetitis etiam aspirationibus: quò minùs temporis precando consumeret, tantò eum voluntati Superiorum plus accessurum significantes; & quamquam nihil illi difficiliùs, quàm animum dissipare, obedire tamen paratus, eo affligebatur, quòd, quanquam obedientiæ gratiâ mentem à divinis abstrahere niteretur, vix tamen

men assequi posset : quod ille Sacerdoti cuidam confidentiùs fassus est dicens : *Vetat me R. P. Rector orationi vacare, ne contentione mentis caput lædam ; at ego graviùs fatigor ac torqueor, dum à DEI cogitatione animum revocare studeo, quàm si assiduo in eam coner intendere ; quod quidem usu in naturam quodammodò transijt, neque jam labor, sed requies, & solatium est. Enitar tamen, ut quod mihi imperatur, quàm optimè licebit, perficiam.* Adeò totus in Deo vivebat Aloysius. Sanctâ hîc in Religiosos invidiâ te tangi adverto, Parthenophile, quòd hi omnibus curis vacui sine solicitudine mentem uni DEO addicere, sanctísque vacare affectibus possint : ubi misera sœcularium conditio mentem tot curis anxiam jam rei domesticæ studio, jam officij molestijs, jam imminentium metu, jam spe futurorum, milléque motibus in varia distractam terrenis affigat. Ita est Pathenophile, & quod pejùs est : *Hæc desideria mul-*

B. Aloysius vovet DEO perpetuam Paupertatem, Castitatem et obedientiam in Societate IESV.

Der H. Aloysius gelobet Gott die Ewige armüeth theilscheit, undt gehorsam in der Gesellschafft IESU. 69



g
C
fc
m
tu
gi
re
di
tu
A
ce
V
R

na & inutilia & nociva mergunt hominem in interitum. ad Timot. 6. Sed volenti non fit injuria. Quid tu velis, tuum eſt eligere; utinam bene!

Caput III.

B. Aloyſius Religionis Vota emittit, & S. Vocationis amor.

Religioſæ vitæ Tyrocinium eâ commendatione poſuit, ut exactâ regularis diſciplinæ obſervantiâ, non Coëtaneis modò tyronibus exemplo, ſed omnibus incitamento eſſet, ac meritò emeritæ jam & veteranæ virtutis cultoribus vitæ ſpiritualis Magiſter præponi poſſet. Quo, de more Societatis, per biennium exacto, diebus aliquot in exercitatione virtutum poſitis, die D. Catharinæ ſacro, Anno 1587. in Romani Collegij ſacello, divina ad aras peragente P. Vincentio Bruno ejuſdem Collegij Rectore, per conſueta Religionis vota,

ta, Paupertatem nempe, Castitatem, & Obedientiam perpetuam arctiùs se Deo adstrinxit. Incredibili perfusus gaudio, quòd jam demum dilectissimæ sibi Matris JESU Societatis tantopere desideratæ filius esse inciperet. Quantum enim vocationi suæ afficeretur, explicari vix potest. Deo indies pro beneficio hoc, quo post Creationis & Redemptionis dona nullum se rebatur accepisse majus, gratias repetebat. Patris, Matris, patriæque oblitus, omnem affectum in Religionem ut Matrem transferebat; hinc illæ voces: *Si nobis patria est super terram, nullam equidem aliam agnoscam, præter Romam, ubi genitus sum Christo JESU.* Nam se priùs vixisse non credebat, quàm ubi Societati JESU, natus, vitam Religiosam esset auspicatus. Illos solùm beatos reputabat, quibus inter JESU socios DEO & proximis vivere concessum esset. Accidit, ut in veste lacera stipem corrogatum egressus, uni è nobi-


nobilioribus fœminæ obviam fieret quærenti, num esset è Patribus, qui ad ædem B. Mariæ Brenanam habitarent? affirmanti: in ea se sociorum aliquem nôsse ajebat, simúlque *heu miserum*, addebat, *illum Patrem! & quò ivit se perditum!* justam B. Juveni bilem vanæ mulieris vox improvida commovit; quare magna vi divini Spiritûs Patrem illum haud esse miserum, ut ipsa sentiret, sed beatum, néque ad perniciem, sed ad perfectam, beatámque vitam devenisse reposuit; quin ipsam potiùs, quæ inter hujus sæculi opes & delitias in misero & infelici vitæ statu, & sempiterni interitûs periculis versaretur, miseram esse edocuit. Ita sentit, Parthenophile!, qui verè de rebus judicat. Sed miseri mortales, oculis auri fulgore captis, plenas miserijs calamitates, sub quibus gemunt, cæci non vident, cupiditatum suarum mancipia & voluptatum servi, vincula & compedes, quibus onerantur, non agnoscunt.

O dura servitus! & tamen captivitatem suam filiorum DEI libertati, ubi jugum est suave, & onus leve, dementissimè anteponunt. Iniqui sanè rerum æstimatores! æquior judex erat Aloysius, qui quæcunque mundus possidet, ac celebrat, ut vanitatem, & afflictionem spir tûs, nihili habebat. In principum palatijs supellectilem argenteam, vestes aureas, mensarum lautitiam, ministrorum copiam, aliáque speciosa vanitatis argumenta conspiciens eorum, qui his caperentur, amentiam risu excipiebat. Dum ad componendas inter fratrem Rudolphum & Mantuæ Ducem dissensiones Româ Castilionem ire jussus, in castellum Godefredi, ad Alphonsum Patruum, ejus loci Regulum proficisceretur, ibíque magno nobilium Principis assedarum faces gestantium numero, denso armatorum agmine à ponte usque ad Principis palatium utrúmque latus stipante, & Principe obviam progresso, ingenti inusitatóque honore re-

ci-

ciperetur, atque in conclave periſtromatis regio apparatu conveſtitum, lectiſque magnificis ſuperbè inſtructum duceretur, Aloyſius vanitatis hujus pertæſus, ad ſocium converſus: *heu mi frater,* inquit, *DEUS nobis hoc veſpere ſit propitius: & quò tandem ob peccata noſtra delapſi ſumus? viden hæc conclavia? hos lectos? quantò nobis meliùs eſſet procul ab his obſequijs & opportunitatibus in cubiculis illis noſtris nudis vilibúſque lectis jacere.* Ita ille, lacernam ſuam Religioſam purpuræ; cubiculi anguſtias palatio, vilem culcitram mollibus cygnis, tenuem victum convivijs longiſſimè præferebat. Adhuc juvenis in ſpiritualibus, quæ cum Matre frequens habebat, colloquijs, non ſatis mirari ſe poſſe dicebat, quid cauſæ mortales dicere poſſint, quòd nón omnes fierent Religioſi; cum nulli ſincero rem oculo intuenti non clariſſimum eſſe poſſit, ſtatum Religioſum præ ſæculari ſolatijs & commoditatibus millies anteire.

Hinc si quem ad Religionem amplectendam transiisse audivit, exultare præ gaudio cœpit. Et hæc sanctæ Vocationis æstimatio ei stimulus erat, ut tot obices & impedimenta, quæ eum ab ingressu morabantur, removeret; ingenuè confessus: *Omnem horam, quam extra Societatem JESU ageret, videri sibi mille annos esse*; tanto ejus desiderio tenebatur. P. Mutius Vitellescus Soc. JESU Generalis in quadam ad Socios exhortatione habitâ, se ex Aloysij ore hanc resolutionem audivisse, retulit: *si per unum tantùm momentum in Societate JESU esse debuissem, & per inferni pœnas ad id pervenire me oportuisset, elegissem illas, ut in Societate essem.* Ita nimirum Sancti, quæ sancta sunt, noverunt æstimare.



Abbas quidam modestiâ B. Aloysij de=
lectatus, studijs etiam absolutis scholas
frequentat.

Ein Prælat die Züchtige geberden Aloysij
anzüsehen begübt sich nach vollendtem
Studien widerumb in die Schüell. 72

B

a
&
t
C
b
n
o
re
N
ce
li
ra
gu
Pa
m
da
ba
pi
sta
cu

Caput IIII.

B. Aloysij sensuum, & maximè oculorum modestia.

INcarnati Angeli nomen, ut passim habebat, ita merebatur Aloysius; adeò in corpore extra corpus vivere, & nativo pondere in terra, sed mente in cœlo ambulare, consueverat. Otiosi quodammodo aqud eum agebant sensus, tam rarò suis functionibus adhibebantur. Oculos certè in officio continere, imò, & à licitis refrænare jam puer in usu habuit. Non repeto hîc, quæ de Imperatrice nunquam conspectâ, imò de nullius fœminæ vultu unquam considerato, alibi dixi. Plura modestiæ singularis dedit argumenta. Dum eum Pater ad spectandam ejus provinciæ militum transvectionem, cui videndæ magnus undíque plurimorum fiebat concursus, Mediolanum accepisset, ne Patrem, qui pro potestate id jubebat, offenderet, spectaculo quidem adfuit, sed ut in primis

sub-

ſubſellijs, unde pompa optimè ſpectabilis erat, conſideret, iuduci non potuit; verùm poſt alios ſe reducens, oculis vel ſemper clauſis, vel aliò converſis quid ageretur incurius hac oculos recreatione privavit. Aliàs, dum Mantuæ moraretur, Japonum Regum Legati Româ reduces urbem illam prætervecti ſunt, ad quorum pompam ingens è viciniſ circùm Regionibus concurſus fiebat: Aloyſius tamen hoc ſpectaculo, quantumvis caro, poſthabito, in Collegium Soc. JESU ſe recipit, & inter anguſti cubiculi parietes deliteſcens tempus illud ſacræ aſceſi tribuit, quod alij curioſitati impendebant. Univerſim tam cautè cuſtoditos habebat oculos, ut cùm eos nunquam humo attolleret, nemo, cujus ij coloris eſſent, dicere potuerit. Unde factum, ut nec Caſtilione, ubi natus & educatus erat, nec Mantuæ, ubi plures annos egerat, viam ſine duce poſſet reperire. Ad te hæc ab Aloyſio adhuc ſæculari geſta ſpectant, Parthenophi-

le. Oculos frœnare disce, incustoditus oculus prostitutæ puritatis est index. Si oculus tuus nequam est, tu bonus esse non potes. Nec malè oculi fletûs sunt instrumentum, quia sunt peccati principium. Magna innocentiæ pars est in Juvene modestia. Plures numeraremus Aloysios, si juvenum plures oculos custodirent. Inter Religiosa deín septa receptus Aloysius, tam arctâ lege oculos cohibuit, ut his præditus nihil videre, præter necessaria videretur, Cùm animi remittendi causâ semel ad diversam ab ea, quæ communi Novitiorum recreationi destinata erat, vineam mitteretur, redux, utra illi amœnior appareret, interrogatus, vehementer hanc se quæstionem mirari ostendit, utpote qui à priori nihil distinctam esse putaret; quæ tamen ab illa tum viâ, tum conclavibus, cœterísque rebus plurimum discrepabat. Trimestre jam in tyrocinio spatium exegerat, nec tamen quis

in triclinio, quod indies frequentabat, mensarum ordo esset, unquam aspexit: unde à Collegij Ministro librum, in loco P. Rectoris relictum, afferre jussus, quis locus ille esset, ignoravit. Aliàs quasi gravi crimine conscientiam læsisset, se apud Magistrum incusavit, quòd non voluntate, sed fortuito casu in proximè sibi assidentem oculos conjecisset. Hebdomadâ sanctâ ab Æditu, ad cenotaphium Christi, lucernas curare jussus, dum longum illis tempus impendisset, nunquam oculos ad loci apparatum, qui suâ venustate Urbem attraxerat, conjecit: hinc sciscitantibus dein socijs, qui cenotaphium placuisset? sibi lucernarum curam datam esse reposuit. Quæ oculorum modestia tantam ei & authoritatem & amorem conciliavit, ut Angelus passim haberetur. Fuit Abbas, qui licet studia jam priùs omnia ad calcem deduxisset, Theologicis tamen lectionibus discipulus adesse voluerit, non aliâ ratione persuasus, quàm ut Aloysij

Aloysij modestiam diutiùs posset intueri; quam ubi semel conspexit, ab ejus vultu oculos nunquam, quoad poterat, deflectebat. Hoc nempe est tacitâ voce concionari. Plures religiosa modestia parem movet ad virtutem, quàm Ecclesiastæ lingua. Nec minori reliquos sensus curâ in officio continebat. Nunquam ullam rem naturâ odoriferam, aut adscititio odore imbutam in manus sumpsisse visus; quoties in valetudinario infirmis minister aderat, eos frequentissimus accedebat, qui teterrimi & putrescentes fœtore alios à se procul arcebant: quem ille pœdorem tam hilari ferebat vultu, ut fastidij nullius signum in eo posset observari. Tactum quî tractaverit, alibi meminimus, dum infensissimum sui hostem & corporis tyrannum fuisse retulimus. Gustum funditùs perdidisse credi poterat, adeò etiam inter edendum mente ad res divinas defixâ nullo cibi sapore delectabatur; nec, delicatus, an vilis, bene condi-

tus,

tus, an insulsus esset, pensi habebat. Ex ijs, quæ proposita illi erant, teterrima sumebat; meridie fel Christi, vesperi supremam ejus cœnam animo versabat. Cùm sensuum portas tam arctâ custodiâ sepserit, faciiè quísque intelliget, quàm illibata in ejus corde integritas floruerit, quæ non nisi per sensus solet deflorari.

Caput V.

B. Aloysij Religiosa Paupertas.

QUi opimam hæreditatem, spes, résque maximas, & jura primogenituræ Christi pauperis amore generoso pede calcavit Aloysius, totus in eo fuit, ne rei ullius terrenæ cupiditate teneretur; indignum ratus magna contemnere, & parvis adhærere. Ex ijs, quæ Religiosa Superiorum cura ejus usui destinavit, vilissima semper & abjectissima eligebat. Nec precum libellum domo paternâ secum allatum tyro, nec Summam D. Thomæ studiosus, quòd

fronte

B. Aloysius ut medium chartæ folium Confratri petenti dare possit, licentiam à Superiore petit.

Der S. Aloysius begehret von den Obern erlaubnüs seinem Mitbrüeder ein blat papier mitzutheilen.



fre
ger
der
ri l
pet
usu
ner
qu
pe
su
ips
qu
st
à
vo
qu
re
m
ve
ri
m
re
va
le
da
h

fronte & involucro inaurata ei obtigerint, ut servaret, potuit persuaderi; sed ut ea vilioribus permutari liceret, lachrymans à Superiore impetravit. Vestimenta, quæ aliorum usu jam atrita inter lacernas seponenda erant, sibi deposcebat, nunquam majorem animo dolorem expertus, quàm cùm Superiorum jussu novæ illi vestes induerentur, quas ipsas dum sumebat, nunquam ille quidquam justo longius aut brevius, strictius, aut laxius esse querebatur; à vestium administro, num aptè convenirent, quæsitus, mihi quidem, inquit, videtur. Talem quippe se gerebat in Religione, quasi è pannis & mendicitatis sordibus elevatus, cibo, vestitu, reliquísque ex mera Superiorum misericordia eleemosynæ nomine erogatis, & dono acceptis uteretur. Plus ille paupertate, quàm vani mortales divitiarum affluxu solent, delectatus. Ut in modico quodam domûs angulo, vetusto, atro, humili, angusto, ut qui præter bre-

vem iectulum, sedem ligneam & scabellum nihil capiebat, nec ulli hactenus ob angustias tribui solebat, commodioribus post habitis, habitare sibi liceret, evicit. Nulla nisi è communi Societatis charitate deprompta re uti volebat. Cùm apud Matrem, litis inter fratrem & Mantuæ Ducem componendæ causâ, versaretur, & hyeme rigidâ interulam ei Mater frigori arcendo necessariam suppeditare vellet, admittere renuit, donec à Socio jussus, eam elemosynæ nomine accepisset: linteis, quæ Româ secum attulerat, jam usu detritis, alia, quæ pro sua in filium pietate Mater consuerat, oblata recusavit, id solùm, ut vetusta sarcirentur, admittens; tantò se perfectiorem Religiosum ratus, quantò vilioribus contentus viveret; cautus, ne rem ullam sibi privatim quasi propriam vindicaret. Nullus ei liber, quem secum de loco transferret; nulla, quæ alijs largiri posset, munuscula etiam ad pietatem comparata; nec

talia sibi dari, nisi invitus, admittebat; sed & tunc admissa Superiorum arbitrio disponenda relinquebat. Non corollam precatoriam nisi vulgarem, non picturam ullam privatam admittebat; incunculis binis è charta plures apud se non patiebatur, quarum una D. Catharinam, cujus die Societati JESU adscriptus est, altera D. Thomam Aquinatem cujus doctrinæ studia æmulabatur, referebat; quin ne in breviario quidem, cui recitando assveverat, icunculam ullam, quâ notæ locò uteretur, admisit. Divitiæ illius erant, nec habere, nec desiderare quidquam, sed à re omni mortali quàm maximè abstractum esse. Librum nullum, nisi quem continuus usus necessarium fecisset, in cubiculo suo esse sustinebat; ad extremum eò adductus, ut præter Sacra Biblia, & D. Thomæ Summam haberet omnino nihil: sed & hanc socio recens ad studia venienti, quem eâ carere intellexit, ut dare posset, à Superiore non sine volupta-

luptate ,& arctioris paupertatis solatio impetravit. Rem ne minimam quidem inscio superiore aut admittebat ipse, aut alijs largiebatur. Accidit, ut à contubernali, quem litteras parantem charta defecerat, pro dimiditato folio commodando rogaretur; paupertatis, si annueret, lædendæ metu petitum tantisper dissimulavit; donec cubiculo egressus P. Ministrum, chartam socio petenti dandi veniam petiturus adijt, quâ obtentâ reversus, desideratum socio folium impertijt. Adeo nihil, esto minimum illud esset, Matri paupertati volebat derogatum. Ob invaletudinem lectiones calamo excipere impotens, eas per amanuensem à superiore solvendum describi curare jussus, id ita præstitit, ut omissis facilioribus ea solùm, quæ difficiliora videbantur, scribi vellet; rogatus cur ita faceret? *Quia*, inquiebat, *pauper sum, paupertatis studio id facio: nec enim decet pauperem nisi pro necessarijs sumptum facere.* In-

dignum se reputabat, pro quo Societas sumptus expenderet. In mensa cibis, qui valetudini obesse poterant, ut Medicorum judicio staret, abstinebat quidem, sed eâ ratione, ut mensæ ministros falleret, ne pro consueta in ægros Societatis charitate quid melius substitueretur.
r cùm ori contra amaritudines iendo saccharum candidum, & yrrhizam haberet, hac præ illo, cur id faceret interrogatus, hæc vilior pauperem magis de-, reponebat. Magnus thesaut Religiosa paupertas, Parthenо-: qui Deo dat omnia, quid non liberali Domino mercedis ac-' Nemo beatus, nisi pauper, ·æter hunc nemo suâ sorte us. Infausta divitum conopum fiunt mancipia, semèri, seu multùm, seu parum t, quia semper aut augendis, vandis opibus mille curis affliguntur; quæ possessæ onerant, amatæ inquinant, amissæ cruciant. Ma-


gna divitijs cum vitijs eſt affinitas, nam ſi æternæ Veritati non diffidimus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.* Nullo hîc opus eſt exemplo. Quantò meliùs eſt calcare nunc omnia, & in centuplum Domino fœnerari.

Caput VI.
B. Aloyſij Angelica Caſtitas.

HÆc in Aloyſio virtus ſuper vires humanas major, in tam excellenti gradu floruit, qui nec ſanctiſſimis viris, aut adoleſcentibus, niſi rariſſimo cœli privilegio, conceſſus eſſe legatur. Joannes Franciſcus Brixinenſis religioſiſſimi Capucinorum Ordinis Provincialis tantam ejus admiratus integritatem, ita ſcripſit; *Adamus nihil in eo pecâſſe videtur, adeò remotus ab omni ſuſpicione peccati innocentiæ ſuæ ſtatum tenuit; Angelo moribus propior quàm homini; tanto intervallo ſpiritus in eo carnem,*

B. Aloysius à B. V. donum Castitatis accipit, Corpus et mens ejus omni motu sensuq; libidinis, dum vixit, caruit.

Der H. Aloysius empfahet von Maria die Gnad der Kheischeit, wierdt auch hiedurch von aller begierlichkeit des Sinns undt des Leibs befreiet.



ne
tu
do
ſio
to
re
ſti
m
qu
ma
ba
m
tu
an
niu
rus
M
pr
pr
pa
tas
diu
ha
pe
le.
in

nem, mens ſenſum vincebat. Quatuor præterea primi nominis Sacerdotes, qui diverſis in urbibus confeſſionum ipſius, etiam earum, quas de tota vita frequentiùs repetebat, fuêre arbitri, quamvis alter alterius teſtificationis mínimè gnarus, unanimi ſenſu ſcripto confirmarûnt: nunquam eum lethiſeram noxam in animum admiſiſſe, adeóque hauſtam in baptiſmo DEI gratiam nunquam temerâſſe, verúm primam innocentiam tumulo ſecum intuliſſe. O quantum animæ ſolatium! innocentiæ teſtimonium. Integer vitæ ſcelerísque purus nihil, quod metuat, habet. Mens innocua cœlum eſt terrenum, prima innocentia gemma eſt omnium pretioſiſſima, nullis theſauris æquiparanda, eſt ſecuritas mentis, ſanitas corporis, terrena beatitudo, gaudium Angelorum, Mariæ deliciæ; hanc qui ſervavit, ſatis dives eſt: qui perdidit, damnum ſubijt irreparabile. Quæ vitæ innocentia tanto plus in Aloyſio admirationis meretur,

quòd ætatem maximè lubricam, & ad vitia à ſanguinis fervore magis proclivem, ab incunabulis in Principum aulis, id eſt inter medias voluptatis illecebras, inter mille innocentiæ pericula, & ſequiora aliorum exempla egerit. Nam ut de paterna domo taceam, complures annos tum apud magnum Hetruriæ, tum apud Mantuæ duces, tum denique apud Hiſpaniarum Regem traduxit: ubique promiſcuo hominum utriúſque ordinis uſu, ut fert res aulica, implicitus. Sed has omnes inter illecebras prima ſemper innocentiæ ſervandæ cura Angeli noſtri pectus occupavit, vitam priùs perdere certus. Quâ integritatis cuſtodiâ tam ſolerti, eam à DEO, per Deiparam (quam puritatis ſuæ Præſidem ſemper invocabat) adeptus eſt prærogativam, quæ non homini, ſed Angelo debita, eum ſupra communem mortalium ſortem procul evexit. Bellarminus hanc, qui dein S. R. E. Cardinalis obijt, & alij qui

ei à Pœnitentiæ Sacramento ſtabiles erant, jurejurando ſunt teſtati; nempe: *Aloyſij corpus, toto vitæ tempore, omni ſenſu, motúque libidinis caruiſſe: mentem pariter omni cogitationum, imaginúmque obſcœnitate, dum vixit, liberam fuiſſe.* Quæ res dubio procul omni vi, induſtriáque humanâ major cùm ſit, non niſi præcipuo dono eidem obtigiſſe credi poteſt. Néque enim nativo alicui frigori, ſenſuúmque ſtupori hæc membrorum obedientia, & mentis ab omni ſorde immunitas adſcribi poteſt: nam qui familiariter ei diutiùs convixerunt, multi eum ſanguinis, & ſpiritûs, indolis excitatæ, naturæque ad res gerendas acris fuiſſe conſentiunt. Fateri proinde neceſſe, inuſitatum hoc cœli munus, idque ab eximio Virginis Immaculatæ in Aloyſium favore profectum fuiſſe. Nihil quippe ſanctiſſimæ Virgini plus placet Virginitate; ſi morum ſimilitudo mater eſt amorum, tam diu te Virgini charum, imò filium chariſ-

ſimum crede, Parthenophile, quàm diu ſordium ignarus, & virgo vixeris. Talis ſi vis, eſſe potes, juvabit illa volentem & decertantem prœmiabit. Meritus hunc cœli favorem accuratâ ſolicitudine videri poteſt Aloyſius, quâ minima etiam, quæ vel remotè virtuti Angelicæ obeſſe poterant, ſummo ſtudio evitabat: â nullo ne à Matre quidem, poſtquam ejus ulnas infans evaſit, ſe vel joco tangi paſſus. Cauterium ſiniſtro brachio inuſtum vinciendi morem frater coadjutor edocturus, digitum ejus brachio modicè admoverat, ſed confeſtim quaſi criminis reus ab Aloyſio removere juſſus eſt. Quâ teneritudine conſcientiam ſuam curaverit, ſatis prodidit, dum Magiſtro ſuo non ſine ſollicitudine queſtus eſt: quamvis accurate omnes cogitationes & opera examinaret, ſe tamen nihil reperire, quod inter peccata numerare poſſet. Vereri ſe dicebat, ne in eorum fortè numero eſſet, quibus tenebræ menti offuſæ ſui notitiam eripuerunt;

quod

B. Aloysius inculpabilis defectûs admonitus à Superiore, ad eiusdem pedes deprecabundus procidit.

Der S. Aloysius einiges unsträfflichen mangels von den Obern vermahnet, bitet solchn khnüendt ab. 81

quo
lum
tis i
mo
dat.
hor
imn
gili
fran
lot
nif
Pa
gr
ju
ce
pu
n
ci



quod grande in via ſpirituali periculum eſſe inaudierat, Ità bonæ mentis indicium eſt, eſſe ſolicitum. Nemo ſibi fidat: qui ſtat, videat, ne cadat. Sine cura & ſollicitudine nec hortus â lolijs, nec integritas à labe immunis conſervatur: hæc vitro fragilior & tactu irreparabili damno frangitur, & viſu imò & halitu minùs loti oris inficitur. Nemo caſtus, niſi cautus. Hic tibi nihil ſit parum Parthenophile, nihil curâ tuâ indignum; vel umbram fuge, quæ hujus nitori adverſatur. Accuratus cenſor conſcientiam tuam excute, vel pulviſculos puritati noxios deterge, ne ſi negligantur, in montes, & præcipitia intumeſcant.

Caput VII.

B. Aloyſij erga Superiores Obedientia.

QUam Societatis JESU pupillam eſſe Obedientiam novit, in ea ad amuſſim exequenda tam promptus, tam-

tamque expeditus erat Aloysius, ut permolestum sibi esse, quidquam ad arbitrium suum facere, sit confessus. Observantiam erga Superiores habebat maximam; néque minùs ponderis apud eum infimus habebat, ac summus; rudis quàm doctus, mediocri vel eximiâ sanctitate præditus, eò quòd homini, non ob talenta, & prærogativas, sed propter Deum obtemperare didicerit. Connovitio sibi præfecto, Manuductorem dicimus, tantam exhibuit reverentiam, quâ majorem nec universæ Societatis Præposito præstare potuisset: assurgebat prætereunti, obvianti genus omne honoris edebat; non cui, sed propter quem, id præstaret intentus. Nihil ei arduum ac difficile, jucunda videbantur omnia, quæ imponebantur: nec sciscitatus, cur hoc, aut illud constitutum sit; eam Superioris esse voluntatem intelligens, ita promptè exequebatur, ut nunquam se à Superiorum voluntate discrepâsse, aut imperium minuisse,


sed

ſed, quæ Obedientiæ perfectio eſt, ne cupiditate quidem ullâ aut inclinatione, ne illâ quidem, quæ in motibus primò primis conſiſtit, aliud, quàm quòd præceptum erat, cupiſſe notatus. Si juſſa eorum ſequeretur, certus Dei ſe voluntatem ſequi. A Patre Generale, num Neapolim ire vellet, interrogatus, cùm affirmâſſet; illico pœnitentiâ dicti tactus eſt: *Oportebat enim*, inquit, *reſpondere, in poteſtate Præſidis futurum; neque ullum abhorrentis, aut inclinantis animi ſignum dare.* Adeò non opus tantùm, ſed mens, judicium & voluntas cum Superioris imperio concordabat; cujus plura perſæpe dedit ſpecimina. Capite paulò inclinatiore à Novitiorum Magiſtro notatus, ut ab ea conſuetudine abduceretur, collare è rudi ac dura, quæ caput demitti non ſineret, charta geſtare juſſus, tantâ alacritate aſſumpſit, ac alius torquem aureum collo injectum accepiſſet. Veniam à Præſide in pane & aqua jejunandi obti-

tinuerat, ab eodem tamen exercendæ virtutis causâ post mensam primam, secundam accedere, & quidquid ciborum appositum fuerit, edere jussus; egit imperata Aloysius. Cúmque per jocum ab alijs bellam hanc jejunij artem laudari audiret, *quid volumus*, inquiebat, *ut jumentum factus sum apud te.* Sciebat quippe par comedenti & jejunanti prœmium esse, si pari utrumque ex Obedientia fiat. Unde corporis castigationes ob corporis valetudinem moderari jussus, hac re unâ se recreari ajebat, *quod religionem navi persimilem esse sciret, in qua non minores progressus faciunt, qui Gubernatoris jussu otiosi sedent, quàm qui remigando desudant.* Nam & DEUM propter DEUM deserere virtutis est. Lintea cum socijs componenti occurrit, se die illo nihilè D. Bernardo legisse; subijt itáque mentem cupiditas, manuali occupatione relictâ sanctiori se accingere, solitæque pietati satisfacere: quam illicò sapienti hac ratiocina-

natione correxit : *Aloysi , quid aliud te D. Bernardus , si eum legeres , doceret , quàm obedientiam : fac igitur te jam legisse , & Obedientiam perfice.* In cujus executione adeò cœcè, ac sine discursu obtemperabat, ut nullam prætendere excusationem vellet. Dum in domo Professorum versaretur , à P. Plato Directore præter consuetam recreationis horam , mediam insuper adijcere cum illis , qui secundæ mensæ interfuerunt , jussus , dum paret , à P. Ministro mandati hujus inscio ultra tempus consuetum colloqui notatus , palàm in triclinio reus promulgatur , & violatæ de silentio legis pœnam dare jubetur : quam magnâ submissione , nec ullâ recusatione allatâ explevit. Sed die postero præcepti à Directore dati memor, iterum alteri remissioni interesse perrexit ; verùm à P. Ministro iterum observatus novâ pœnâ mulctatur ; quam ille nec detrectat , nec causam ullam dicit ; donec à P. Plato accersitus, cur mandatum P. Mini-


ſtro non aperuiſſet, quæſitus, repoſuit: *Maluiſſe ſic & Directori & Miniſtro obedire; timuiſſe etenim ſe, ne amor proprius in fraudem aliquam excuſatione impelleret.* Aliàs à Superiore de rei neſcio cujus incuria, in quam, quòd animo feré à ſenſibus alieno ingrederetur, offenderat, objurgatus: tantâ pœnitudine defectum deteſtatus eſt, ut ſubitâ defectione laberetur; è qua ſe reducens Superioris pedibus lachrymans accidit, tam ſincerâ demiſſione delicti veniam precatus, ut excitari vix poſſet. Grande Religioſæ menti ſolatium creat Obedientia; hanc qui ſequitur, arbitrij humani periculis ſuperior, & erroris expers tutiſſimâ graditur viâ.



Ca-

B. Aloysius amore Silentij Card.
Roboreo loqui, nisi impetrata prius
facultate renuit.

Der S. Aloysius wolte aüß lieb der
Regl mit Card. Roboreo nicht röden,
als nach erhaltener erlaübnüs. 84



Caput VIII.

Accurata in B. Aloyſio Regularum obſervantia,

STatim à primo in Societatem ingreſſu perſuaſum habebat Aloyſius, eum ſolum religioſi nomen promereri, qui nihil eorum prætermiſerit, quæ ſancti inſtituti illius, quod amplexus eſt, regulis ſanciuntur. Quare toto conatu incumbebat, ut legibus omnibus, quantumvis minimis, quam diligentiſſimè obſequeretur, idque tantò majori faciebat alacritate, quòd ſciret Societatis JESU Regulas à S. P. Ignatio tot divinis Illuſtrationihus edocto, dictante Deipara Virgine fuiſſe conſcriptas; in quibus nihil parvum, nihil non ſummâ dignum obſervantiâ. Quæ licet de minutijs quibuſdam latæ viderentur, adeò tamen ejus cordi inſederunt, ut nullius hominis, quantumvis in dignitate poſiti, causâ earum vel apicem prætermitteret. Fuit, cùm Cardinalis Roboreus propin-

 quus

quus eum in templi vestiario repertum alloqueretur; negavit responsum Aloysius: priusquam â Superiore, quem à Cardinali digressus adierat, veniam impetrâsset. Quæ regularum observantia multò plus Cardinali, quàm quiscúnque discursus arrisit. Incredibile dictu est, quàm cautè legis illius, quæ præter consueta recreationi tempora loqui vetat, observans fuerit; quam ut ad amussim expleret, frequenti ad Deum suspirio anhelabat: *pone Domine custodiam ori meo.* Sacerdoti extra domum ituro socius additus, cùm audisset non semper, quibus exeundi, etiam esse colloquendi facultatem, ne verbo quidem ullo socium allocutus, libellum in via spiritualem lectitabat. Pluris nempe S. Institutoris, quàm hominum aliorum voluntatem æstimabat; oculis ad humanos respectus clausis, nunquam, ut faceret hominibus satis, omittere, vel interrumpere quidquam, quod regula juberet, voluit. Maluit hominibus parùm scitus

tus & urbanus videri, quàm Deo parùm pius aut devotus. Annis omnibus, quibus in Religione vixit, regulam, quæ ſilentium, & quæ linguæ latinæ uſum ſcholaſticis imperat, adeò exactè conſtantérque ſervavit, ut transgreſſus ſit nunquam. Societatis JESU homines Collegio exituri domûs janitorem, quo egreſſuri ſint, admonere ſolent: cùm itaq; ad domum Profeſſorum frequentiùs miſſus itaret Aloyſius, ſcrupulo tactus ſciſcitabatur à tyronum Magiſtro, incaſſumne verbum proferret, ſi diceret ſe ad domum Profeſſorum ire, cùm, ſi vel ſolam domum nominaret, ſatis à ianitore intelligi poſſet. Adeò ut ne verbum quidem minus neceſſarium ſibi patiebatur excidere. Regulas interpretari, aut ſuum in ſenſum detorquere nefas duxiſſet; ſed ijs uſque adeò rigidè ad litteram parebat, velut earum neglectu ingens aliquod diſcrimen timendum reſtaret: idque eâ libertate, ut in obſervantia, quam lex præcipiebat, nullam per-

personam, sive Religione secum devinctam, seu solutam curaret; quid se religiosum obligationis suæ causâ facere conveniret, non quid alij desiderarent, cogitabat. Et habuit sanè perfectæ hujus legum observantiæ uber solatium: dum ad extrema deductus, post supremam Unctionem & sacrum Viaticum, cum summâ animi sui voluptate, & majori adstantium ædificatione palàm confessus est; *Recordari se non posse, ullam unquam etiam levissimam Societatis JESU regulam à se fuisse violatam.* Et hoc est Religiosum esse; vestis sanè, vel tonsura Religiosum non faciunt, sed legum observantia. Non meretur ordinis frui nomine, cujus onus recusat ferre. Hæc suavis Dei providentia est, ut ijs quemque salvum velit legibus, ad quas eum vocavit. Præstat Religioni animum non adijcere, si, quam nomine profiteris, eidem convulsâ legum auctoritate te factis subtrahas. Quod sepes hortis, idem regulæ præstant institutis: & hæc

&

B. Aloysius se ad studia, vel dicendum paraturus, precibus ante SS. Eucharistiam fusis lumen impetrat.

Der S. Aloysius erhaltet durch vorgehentes gebett vor den Hochwierdigen grosses liecht in seinem Studieren.

n

n

g

ha

m

dé

ſci

jus

ſo

de

figi

dus

ſub

ſen

& illi prædatori cedunt in ſpolium, niſi pro ijs, quibus cuſtodiuntur terminis, inviolatè conſervandis adſit vigilantia. Qui legum incurius vivit, ejus vana eſt religio.

Caput IX.

B. Aloyſius Scientiam à SS. Evchariſtia haurit.

COmmune in neceſſitatibus omnibus refugium Aloyſio diviniſſimum altaris Myſterium erat. Teneros erga hoc amoris igniculos à magno Magiſtro D. Carolo Borromæo hauſit, qui primus ei tanti Sacramenti dignitatem, & cultum, ejuſdémque ritè adorandi, ac dignè ſuſcipiendi ordinem explicuit. In hujus adorationem animo tam propenſo fuiſſe ab omnibus notatus eſt, ut de exprimenda ejus poſt mortem effigie deliberantibus eo ritu depingendus videretur, qui ſacram hoſtiam ſubmiſſis genibus adorantem repræſentaret. Enimverò præter Commu-


muniones frequentissimas, quotidianâ Spirituali, ut vocant, sub Sacro Communione non contentus, sæpissimè ac per occasiones licuit, SS. Sacramentum adoraturus accessit, ut sacris ardentis cordis affectibus liberiùs non sine voluptate vacaret. Jam à teneris Sacerdoti ad Sacrum minister assistere gaudebat. Novitius dein ad domum Professorum missus speciali afficiebatur gaudio, quòd pro sua in SS. Evcharistiam pietate quinis servire sacris, & potiorem diei partem functionibus circa templum occupari licuerit: Sic enim intimos pietatis igniculos ex assidua Sanctissimi præsentia uberiùs inflammabat; cujus ardor adeò in Aloysij pectore adolevit, ut fusiores coram Venerabili preces fundere à Moderatoribus prohiberi debuerit, ne intensione tantâ ejus valetudo detrimentum pateretur. Quibus ut morem gereret, ita paruit, ut frequentissimè quidem in templi Odæum ad salutandum sub panis speciebus Deum iret; Sed quàm primum

mùm acciderat in genua, iterum ſurgere, &, ne quâ cogitatione contra Superiorum voluntatem à ſenſibus in Deum abriperetur, ſe ſtatim inde proripere conſueverit. Quamquam ſi anima plus ibi eſt, ubi amat, quàm ubi animat, continuò Evchariſtico Deo adfuiſſe credendus eſt Aloyſius, cujus omnis voluptas in ejus ſumptione, deſiderio, viſitatione conſiſtebat; quam continuâ ferè ejuſdem in colloquijs memoriâ uberrimè teſtabatur. Hìc in dubijs conſilium, auxilium in negotijs, ſpem in deſperatis, in afflictionibus ſolatium, in via ſpirituali conſtantiam, & in ſtudijs lumen ſe reperire non ſine tenerrima pietate ſentiebat. Senis cùm in tranſitu hoſpes adeſſet, rogatus ut apud adoleſcentes B. V. Sodales verba faceret: poſtquam pro ſpeciali, quâ juventutem in virtute promovere conabatur, ſtudio & pietate operam ſuam condixit, bibliothecæ loco ad templi chorum ſe recepit; ubi ante SS. Evchariſtiam proſtratus,

mente recollectâ paulisper meditatus, nullo libro inspecto, sermonem habuit ad pietatem tam oppositum & efficacem, ut eo multis è juventute Religionis ineundæ desiderium, reliquis sermonis illius descripti exemplar avidè flagitantibus, salutarem Dei timorem incusserit. Ita pietas ad omnia utilis est, Parthenophile, nec detrahitur studijs tempus, quod illi tribuitur. Adoranda est Sapientia æterna, ut humanas scientias assequamur; lumen ingenij petendum est à Lumine, Numinéque supremo. Aloysius certè sermones sive palàm in publico, sive seorsim cum uno aliquo, ita ferventes, ita disertos, tótque sapientissimis sententijs refertos habuit, ut doctrinam ejus longè super ætatis illius captum stupuerint auditores: ac proinde non humano labore, sed divinitùs hanc ei scientiam communicatam esse, conclusetint. Frustra laboramus, nisi Deus det lumen sapientiæ; totâ nocte laborantes nihil capimus, nisi bene-

B. Aloysius Philosophiam defensurus quærit, num ad sui confusionem studio imperitè respondere possit.

Der S. Aloysius als er die Philosophij offentlich verfechtete, wolte sich mit fleiß untüchtig erzeigen. 89



dictio inde veniat, unde omne donum perfectum. Devota tam ante ſcholas, quàm ſtudia Dei Evcharistici viſitatio plus multis ad ſapientiam profuit, quàm plurium horarum labor ſpeculationi impenſus. Hanc erga SS. Altaris myſterium devotionem ad mortem uſque conſtanter tenuit; id gratiæ locò ſæpius à Deo poſtulans, ut vel SS. Evchariſtiæ, vel Chriſto patienti, dicatâ die ſibi mori contingeret; quod utrúmque impetravit, dum octavo Theophoriæ die, in feriam ſextam tranſeunte, è vita migravit.

Caput. X.

B. Aloyſij ſtudia Philoſophica, & Theologica.

QUia ſtudia fini vocationis ſuæ poſt virtutem ſummè neceſſaria eſſe non ignorabat Aloyſius, ideò ſummâ mentis contentione ad præclaram eorum cognitionem conſequendam, non vanæ gloriæ, oſtentationis, aut popularis auræ captandæ, verùm di-

vini honoris promovendi, & hæresum extirpandarum causâ, eluctari laborabat, ingenium à natura perspicax, & acre judicium sortitus, juvenis quatuordecim ætatis annos natus, jam Theologicas Compluti theses publicè oppugnâsse auditus, miram sui æstimationem apud copiosum auditorem comparavit. In Brerano Collegio Mediolani rerum naturalium scientiæ ita dedit operam, ut non modò auditor adesset lectionibus, sed etiam concertantium pars vel oppugnandis, vel tuendis conclusionibus admoveretur. Quod ita agebat, ut cúm mirum in eo semper eminuerit ingenium, modestiâ tamen cum æmulis tam singulari ageret, ut nec gestu, nec verbo ullius aut impatientis animi, aut juvenilis licentiæ indicium præberet. Rara sanè res, magnum ingenium cum magna modestia & humilitate compositum. Plures scientia inflat & insolenter effert, dum se solos omnem scientiarum alveum exhausisse rati, reliquos

post

poſt ſe omnes habent, & ut leviter tinctos vixque primis, ut ajunt, labris madidos contemnunt. Quam ſcientiarum ſitim ſecum in Religionem tranſtulit Aloyſius, ubi peractis tyrocinij experimentis, tertio Philoſophiæ anno applicitus, tantùm in ejus cognitione proceſſit, ut rei litterariæ moderatorum ſuffragijs, propoſitis publicè theſibus tuendis digniſſimus judicaretur. Quod priusquam ageret, P. Mutium de Angelis Philoſophiæ Profeſſorem conſulit, an non ſui publicè deprimendi causâ de induſtria imperitè reſpondendum ſibi eſſe judicaret? quod cùm diſſuaderet Pater, ejus conſilio ſtetit, & in Roborei, Montis Regalenſis, Cardinalium, aliorúmque virorum Principum frequentia, in maxima gymnaſij exedra quàm doctiſſimè oppugnantium argumenta diſſolvit. Ita fugientes honor inſequitur, nec majorem facilè ullus gloriam conſequitur, quàm qui eam minimè aucupatur. Aloyſij humilitati Deus publi-

cos in prœmium plausus destinavit. Magistros, quibus seu in Theologia seu in Philosophia utebatur, impensè reveritus, nunquam ab eorum opinione discessit, nunquam docendi dictandive Methodum, nunquam brevitatem aut prolixitatem materiarum questus; eos de re quapiam consulturus, non priùs pileum præseferre desinebat, quàm eo caput tegere juberetur. Nihil minori erga scholæ administrum, quem Bidellum dicimus, erat observantiâ: quoties ab hoc seu domi seu foris, ut contra alios argumentaretur, aut responderet, admonebatur, parebat illicò. Ad hæc si cui Sociorum id officij genus minùs commodum accideret, ad illius arbitrium operam suam pollicebatur; quam etiam ita modestè commodabat, ut cùm disputaret acriter, nullum spernere, nec clamosè interpellare sit notatus. Elapso concertationis tempore ita obmutuit, ut, dum scholis, aut disputationibus auditor adfuit, dumque gymnasium pe-

tijt, aut inde regrederetur, nunquam vel verbum cum ullo ſive domeſtico, ſive externo miſcuiſſe ſit animadverſus. Ita, qui ſuo tempore tacere norunt, norunt oportunè loqui, cùm debent. Certè Theologiæ Profeſſorum aliquis negabat, à quoquam diſcipulorum, præterquam ab Aloyſio, cùm implicatam quandam quæſtionem attuliſſet, curam ſibi injectam eſſe præmeditandi, quid reſponderet. Adeò ille nempe profundè difficultates explorabat, eſto librum præter ſcripta ſua nullum, niſi Magiſtri ſui ſuaſu, ſumpſerit ad manus. At facilè fuit doctum eſſe & fieri Aloyſium, cui nempe lumen à cœlo auffudit Pater luminum, Spiritus Sapientiæ. Nunquam ſanè ille ſtudia, niſi Deo priùs in auxilium vocato, auſpicabatur; nunquam adibat ſcholam, niſi prior Evchariſtiam ſalutâſſet, quod obſequij genus è ſcholis redux iterum repetebat. Levis in ſpeciem labor hic, ſed ſi conſtans eſt, non leve apud Deum prœmium obtinebit.

Caput XI.

Zelus animarum in B. Aloysio.


UNa inter graviſſimas Aloyſij rationes, cur de ſtatu vitæ deliberans Societatem JESU Religionibus reliquis præpoſuerit, Zelus animarum fuit, utpote cujus finis totus eum in ſcopum collimaret, ut Dei gloriam, & proximi ſalutem modis omnibus procuret, hujus matris filius, hujus Zeli pars eſſe ardebat B. Adoleſcens; nec inter mera deſideria ſanctus ejus conatus ſubſtitit: licet enim ſacris necdum initiatus, primâ ſolùm tonſurâ Romæ anno. 1588. 25. Febr. donatus, pœnitentibus aures dare non poſſet, alia tamen animas juvandi media ingenioſus amor ſuppeditabat. Nemo eſt, qui Zelum animarum exercere non poſſit. Feſtis diebus, quibus & ipſe à ſcholaſticis, & plebs à mechanicis laboribus feriabatur, Mediolani ſocium per fora verba facturum ut comitari ſibi liceret, impetravit; tum circuire vi-

cos,

B. Aloys. eo Zelo concionatur, ut totâ nocte plures Sacerdotes confessionibus audiendis occuparentur.

Nach eÿffriger Predig des S. Alousÿ müesten vill Priester die ganze Nacht in beicht=hören zuebringen.

ce
gi
ve
ip
fic
na
in
ju
in
b
vi
d
d
ju
ce
ec
ta
tr
S
e
m
ti
ri
re
pi
m



cos, cogere multitudinem, aliò cogitantes, ut ſocij concionem audire vellent, rogare; Romæ dein palám ipſe per urbis plateas & compita Præſidum juſſu vili plebeculæ Chriſtianæ doctrinæ elementa tradebat. Quo in munere ad ſpeciem exili tanta ejus erat hilaritas, ut nihil ei gratius imponi potuiſſet. Quod tantâ verborum vi & energiâ fecit, ut graviſſimi non raro Antiſtites fortè rhedâ prætervecti ipſius videndi, & audiendi causâ ſubſtiterint, multùm ejus dictionis fervore delectati. Dicebat ad animorum, etiam peccati conſuetudine obduratorum, motum tam appoſitè, ut dum Caſtilione Matris rogatu, Anno. 1590. 3. Martij Sabbatho ante feſta hilaria populum exhortaretur, tantam pœnitentium multitudinem ad peccatorum expiationem commoverit, ut neceſſe fuerit, Curiones & Monachos complures ſeram in noctem pœnitentibus expiandis occupari. Intellexerat, Romæ hominem jam ſextum in annum

confessionem distulisse, hunc Aloysius suavi verborum comitate præoccupatum urgere, sollicitare, atque ut erat divini spiritûs incitatione inflammatus, ardenti oratione cohortari non priùs destitit, quàm victas daret manus, & eum ad sacrum pœnitentiæ tribunal deducendus, in basilicam Nominis JESU sequeretur. Ubi illo à sordibus expiato, par tam in pœnitentis, quàm Aloysij vultu hilaritas apparebat: nam & Angelis gaudium est super peccatore veram pœnitentiam agente. Dum Patribus comes additus eos ad carcerem, aut valetudinaria comitabatur, ibi proximorũ spirituali colloquio juvandorum occasionem, non solùm dum quæ se offerebat, promptè arripiebat, sed & ipse avidus ultrò inquirebat. Dum Pater confitentibus aures commodaret, Aloysius interea vel de Christianæ fidei capitibus, vel de obeundæ cum fructu pœnitentiæ ratione, ignaros erudiebat. Ad hæc teneræ juventuti, ubi se offerret occasio, pietatem

tem, & innocentem morum probitatem instillare satagebat. *Qui enim in teneris illis plantulis colendis, omniúmque tum vitiorum gelu, tum pravarum cupiditatum æstu, ab ijs piarum hortationum, sanctorúmque mysteriorum præsidijs defendendo elaboret, eum & præclarè de DEI numine mereri, & gratum ei jucundúmque facere*, dicebat Ideò emensis Theologiæ studijs ad tradenda infimæ Classis rudimenta applicari optabat, ut imbelli ætatulæ virtutis ac Christianæ pietatis amorem instillare cum litteris posset: quod officium Grammaticæ Classium Magistris sanctè invidebat; eosdem ob tam præclaram de juventute bene merendi opportunitatem familiariter compellans: *beatos* nominabat. Et sanè beati, imò Angeli sunt illi, Tutelaribus nihil inferiores, qui teneræ innocentiæ contra tot hostes defendendæ præpositi, rudibus illis animulis, ad vitia & virtutem æque pronis, primos pietatis igniculos indunt. Si per Præsides licuisset, ad

ultimos certè Jndos, ad barbaras quásque nationes Christo adducendas ivisset Aloysius, paratus pro earum salute vel vitam ponere. Quin imò in spem venerat, in eas oras aliquando cum socijs, qui quotannis ex Europa eò tendunt, proficiscendi. Quod desiderium ejus adhuc parvuli pectus urgebat: dum enim in Hispaniam navigaret; ac metus nescio quis suboreretur, ne in Turcarum potestatem venirent, ille repentinâ cupiditate exardescens, clamare cœpit: *Utinam ita casus ferret, ut Martyres fieremus!* Crevit hic cum ætate ardor, sed quem ad extremos orbis incolas, aut etiam exteros effundere non potuit, in domesticis, quà exemplo, quà colloquijs ad virtutem promovendis continuò intentus, occultum agens Apostolum exercuit. Dum enim recens aliquis è tyronum domo, aut aliunde advenerat, eum aut ipse per se adoriebatur, aut aliquem ad eum, cum quo tyrocinium posuisset, ablegabat, quantúmque poterat, ad hau-

B. Alpysius olim Marchio scutellas in culina lavat, vilissimaq; munia obit.

Der S. Aloysius üebet sich in den Küchl-dienst ündt anderen Werkhen der Demüeth.



hauſ
ſerva
pieta
ſpiri
vatio
jus
quà
bus

B.

L
letr
ſtat
mu
ca
po
ve
di
fi
tu
in
q

hauſtum in tyrocinio ſpiritum conſervandum hortatus, ſocium ſe ei pietatis offerre, alios pariter, qui ſpiritu magis valerent, pro conſervatione deſignare. Quod ſæpe majus divinis oculis ſpectaculum eſt, quàm inter plauſus publicos animabus ſervire.

Caput XII.

B. Aloyſij, ſe intra domeſticos deſpicientis, Contemptus.

LIcet in principatu natus & enutritus, debili teneràque eſſet valetudine Aloyſius, à primo tamen ſtatim in Societatem ingreſſu ad communem vivendi morem & domeſticarum legum diſciplinam ita ſe compoſuit, nihil ut à cœteris in victûs vel veſtitûs, aut habitandi ratione differret, nec ſe unquam ab ullo Præſidum, quanquam ſæpius id offeretur, aut accipi liberalius, aut ulla in re eximi patiebatur. Ad omnia quantumvis vilia & abjecta tam læ-

tus alacérque descendebat, ut nunquam aliorum servitij usum, sed in aliorum obsequio ætatem posuisse quis crederet. Humillima quævis officia majori arripiebat aviditate, quàm ambitiosi homines dignitates & honores ardere soleant. Feriâ secundâ & tertiâ cujúsque hebdomadæ coco adjutor in culina aderat; ligna comportare, focum instruere, lavare scutellas, sordes converrere, ollas mundare, cœteráque id genus mediastinorum munia peragere, deliciæ ei erant. Nihil in domo DEI vile; nihil abjectum est, quod Regi Regum præstatur obsequium. Pari voluptate aranearum telas per ambitus detergebat, curabat lucernas, scopabat ambulacra, egregius in omnibus sui contemptor. In nulla alia virtute plus ponebat studij, quàm in humilitate; hujus acquirendæ modum, motiva, media ipse sibi præfixit. *Quando dæmon te*, inquiebat ipse sibi, *crebriùs objectâ cupiditate vanæ gloriæ, & magnificâ de te*

ipso

ipso opinione adoritur, quòd hæc minimè munita sit mentis tuæ pars, idcircò majus, vel potiùs continuum eò studium conferas, ut humilitate, tuique despicientiâ non modò in speciem, sed interiore etiam animi sensu, cum illa dimices. Nec minùs fecit, ac dixit. Nihil quippe unquam egisse, aut dixisse notatus, quod vel longo intervallo in sui laudem derivari posset; quin omnem sæculi splendorem, genus, familiam, ea item, quæ ipsius magis propria erant, ut vim ingenij, scientiæ copiam, vitæ sanctitatem, & cœtera, quæ laudi esse possent, tam alto silentio premebat, ut nemo de his ex eo verbum acceperit; nec ab alijs de his mentionem fieri nisi ægerrimè tulit; vel ad suspicionem suæ laudis in morem teneræ virginis erubescebat: ideò, cùm ob continuam corporis macerationem vultu pallesceret, si quis tamen eum erubescentem videre averet, non aliter faciliùs, quàm ejus laudatione assequebatur. Ob con-

cionem in triclinio, festo B. Virginis Purificatæ, dictam à P. Hieronymo Plato laudatus, tantam ex eo molestiam sensit, ut eam rubore suffusus celare non posset. Aliàs orationem coram Episcopis hospitibus dicere jussus, cuidam de felici eventu gratulanti reposuit: *Sibi nihil eo die gratiùs accidisse, quàm quòd, blæsum se esse, omnibus innotuerit.* Se in domo DEI ultimum reputans, dato ad refectionem signo, ad mensam, in ultimo triclinij angulo sitam, se conferre, primas omnibus cedere, eáque observantiâ etiam fratres coadjutores revereri studuit, ac si totius familiæ omnino postremus fuisset. Periclitari hanc ejus demissionem aliquando volens Superior jubet, ut per dies aliquot triclinio verrendo, sternendo operam navet: Præfecto verò triclinij dat negotium, ut eum identidem carpendo, monendo, contemnendo assiduè exerceat; hîc studiosè partibus suis functus, nunquam Aloysium adigere potuit, ut vel semel se

ex-

excusaret, aut ullum molestè ferentis indicium daret. Si sacristæ juvando adesse juberetur, & is in re aliqua aut monendus, aut consulendus esset, id aperto capite junctis ante pectus manibus faciebat, tam modestè, tamque reverenter eum allocutus, ut ruborem ipsi excuteret. Mandata ipsius non minùs promptè, accuratéque, quàm si à Christo Dom. nostro data essent, observabat.

Quantò vilior ipse in oculis suis, tantò major videbatur alienis: tanti enim eum contubernales æstimabant, ut omnium ore, velut quidam è divorum numero prædicaretur, & pro tali in congressibus omni observantiâ coleretur. Hinc quæ usu ille suo contigerat, quasi sacrata pietatis causâ osculis honestabantur, & reliquiarum instar expetebantut à pluribus. Nullam ille interea deprimendi sui occasionem otiosam abire passus in vita, pari mortem humilitate decorare voluit: dum post extremam Unctionem & Viaticum, illud

gratiæ loco à Superioribus instanter petijt, ut moriturus è lecto ad terram deponeretur, ut sic humiliore situ mortem exciperet. Vide sis, Parthenophile quàm humilia sint bene mori volentium desideria! nemo sanè de vitæ superbia, honorum ambitu, aut culmine dignitatum in agone sibi plaudet, gratulabitur autem plurimùm, qui contemptis, quos expectare poterat, honoribus abjectus in domo Dei, paupere victu, vili vestitu, vitam egit humilem, tantò plus exaltandus in cœlo, quantò infra omnes se demisit in terris.

Caput XIII.

Confusionis publicæ amor in B. Aloysio.

Cum Aloysij virtus religiosis jam latè diffusa parietibus, & omnibus nota domesticis magnam ei apud hos æstimationem conciliaverit, apud exteros, quibus hæc fortè minùs innotuissent, confusionis suæ opportunitatem sollicitus inquirebat.

B. Aloysius humeris sacco oneratis stipem Romæ per Urbem mendicat.

Der S. Aloysius betlet dürch die Stadt Rom offentlich das Allmosen.

98

H
ſt
m
on
m
m
t
J
ſl
S
ſ
l
i
t
c
t
r
C
t
b
g
l
t
l



Hinc fieri ſibi poteſtatem ſæpius poſtulabat, ut in obſoleta lacerna, humeris manticâ, aut manibus ſportâ oneratis, ſtipem per Urbis compita mendicare ſibi liceret: quod tam Romæ, quàm Mediolani lætus frequentabat, etiam Dominum noſtrum JESUM Chriſtum ad hunc modum ſtipem conquiſiviſſe, dicens. Cùm Senatorem, aut virum alium conſpicua in dignitate conſtitutum, Collegij ambitum ſubijſſe obſervâſſet, illicò vel ſcopaturus, vel aranearum telas decuſſurus prodibat in publicum: ut ſic à prætereuntibus, quibus ignotus erat, pro verna, domûſque Religioſæ famulo haberetur. Quod adeò conſtanter fecit, ut quoties ſcopis, aut perticâ inſtructus cubiculo egredi viſus eſt, toties ſignum Patribus eſſet, virum aliqnem honoratumCollegium ſubijſſe. Quantùm honores exoſus eſſet, jam tum liquidò exhibuit, dùm eâ, inter reliquas, de cauſa Societatem JESU ſe elegiſſe Patri, dignitates Eccle-

 ſiaſti-

ſiaſticas, ſi alium Ordinem adiret, ſpondenti, repoſuit: quòd Societatis homines voti religione ab omni dignitate & Prælatura arcerentur. Eam prærogativam, quòd à tam nobili ſtemmate ortus eſſet, adeò vilipendit, ut inter lachrymas aliquando eos, qui ignobili loco nati, non tot ſalutis impedimenta haberent, feliciores eſſe diceret: quin & P. Dominico Fino Ord. Præd. SS. Theol. Doc. auditus eſt dicere: *Non eſt, quòd noſtri nos natales inſolenter efferant, quoniam nihil inter mendicorum & Principum cineres intereſt, niſi quòd hi graviùs fœteant.* Inde factum, quòd de ſua nobilitate loquentes audiret ægerrimè. Cùm eum, Philoſophiam univerſam publicè defendentem, Doctorum aliquis oppugnaturus de natalibus & proſapia multùm dilaudâſſet, adeò erubuit, ut quot quot Sociorum aderant, non ignari, quàm illibenter hæc audiret, ei compaſſi fuerint. Exulcerari plus ejus animus non poterat, quàm ſi hæc ei no-

nobilitatis memoria ingereretur, tunc enim immensum quantùm eum suorum natalium claritudinis pœnitebat, ut qui ignotus omnibus & abjectus vivere præoptâsset, Gregorius XV. P. M. de imminente Aloysij morte à Cardinalibus edoctus, motu proprio suam ei benedictionem cum Indulgentia plenaria transmisit: quem Sanctissimi favorem dum ei Collegij P. Minister annunciaret, quantum ex sacris his muneribus gaudij, tantundem verecundiæ percepit ex eo, quòd Pontificem sui tam abjecti, ut ipse rebatur, homuncionis meminisse intelligeret, verecundiam vultu manibus contecto testatus. Par demissionis specimen exhibuit, dum P. Ludovicus Corbinellus vir grandævus in Soc. JESU, in mortis solatium eum ad se in cubiculum æger ægrum adduci voluit; quo viso, post sermonem grandi cum animi voluptate de rebus divinis, de ferendis patienter adversis habitum, ab eo sibi benedici postulavit. Attonitus hac petitione


Aloysius


Aloyſius, & rubore ſuffuſus negavit, ab Adoleſcente ſeni grandævo, eíque Sacerdoti id præſtari poſſe; cùm tamen ita fieri vellet, nec aliter à valetudinario ſe reducendum adverteret, imò juſſus, ut & ſenis mœrorem evitaret, & ſimul humilitatem tueretur, manu ſeipſum in crucis formam ſignans dicebat: *Dominus nobis ambobus benedicat.* Quàm diverſa ſunt Dei, mundíque ſequacium ſtudia, quàm oppoſiti conatus! hi ſupra, illi infra omnes eſſe; hi monſtrari digito, & dicier hic eſt, illi latere; hi ſuper candelabrum extolli & adorari, ignotis illi hærere in angulis; utríque ſummo ſtudio laborant & contendunt. Qui putas meliùs agunt, Partenophile? finem attende: horum gloria confuſionem, illorum confuſio gloriam parturiet. Aut mundus errat, aut Chriſtus, hic demiſſionis, ille ſuperbiæ ſequelam ſuadet. Vide, cui obſecundes?

* * *

B. Aloysius è pectore præ amore De[i]
intumescente sentit veluti flammam
erumpere.

Aüß grösse der Lieb Gottes empfünde[t]
der S. Aloysius aüß seiner brüst gleich so
flamen entspringen.





Caput XIV.

B. Aloysij in Deum Amor.

INcredibile dictu est, quantum ad perfectissimum Dei amorem consequendum studij adhibuerit Aloysius: etiamnum Juvenis tantis in Deum Evcharisticum affectibus æstuabat, ut dum Sacerdos hostiam de more spectandam attolleret, imbrem lachrymarum fundere consueverit. Religiosus dein, quocunque se ferret, nunquam Dei præsentis memoriam deponere, sed semper cum eo colloqui, novisque jaculatorijs precibus velut pabulo, ignes charitatis divinæ conceptos fovere satagebat. Quâ assiduitate eò demum evasit, ut vel mentione Dei factâ è vestigio mens ei cœlesti voluptate difflueret, palámque vultu foris inflammato interni ardoris signum proderet; id quod aliàs sæpe, tum luculentiùs aliquando prandij tempore, cùm nescio quid de amore DEI legi audivisset, contigit,

tigit, tunc enimverò in lachrymas erumpere, sensibus destitui, loquendi facultate tantisper inhibitâ, sensit ex intimo pectore velut flammam erumpere, cujus vi â refectione cessare coactus est. Hac divinæ charitatis vi intùs operante sensibiliter ei pectus intumuit, & cor tam crebro & concitato motu in pectus subsultabat, quasi exilire velle videretur; adeò ut socij in metu essent, nequa ejus vena rumperetur. Quæ cum socijs nota essent, aliqui ut eum inflammatum viderent, de industria sermonem de DEI in homines charitate movebant; alij contra ne quam ejus aut corpori molestiam aut periculum crearent, hujus generis colloquia interrumpere studebant. In Ambulacris spacians tam longè à sensibus alienatus ibat, ut cùm aliqui deditâ operâ salutandi ejus causâ præterirent, neminem ille tamen adverteret. Ibi nempe tota ejus erat anima, ubi amabat, id est in DEO. Nec mediocris laboris negotium illi

fuit

fuit, ſenſus corporis ad munera obeunda continere: ſimul enim ac mens ejus in DEUM rapiebatur, néque oculis, néque auribus quidquam percipiebat. Quod vitæ genus dubio procul valetudini ejus obfuiſſet plurimùm, niſi ab hac mentis ad Deum elevatione frequentanda prohibitus fuiſſet. Ut Superioribus proinde morem gereret, quantùm poterat, ſe ab ejusmodi affectibus continebat. Verùm hac diligentiâ parùm proficiebat: quo enim obediendi amore magis conabatur fugere, tantò acriùs illum DEUS conſequi, ſuíque copiam illi facere, mentem illuſtrationibus, & cor delitijs cœleſtibus totum permulcere: quas ille ſentiens, ne ſuperiorum mandatis refractarius videretur, quoad poterat, recuſabat, & ſubmiſsè Deum rogabat, identidem: *Recede à me Domine, recede à me*: ingeminans. Quid tu amas, hæc qui legis Parthenophile? quàm parùm ſine corde, tam parùm vivis ſine amore. Ubi

amor tuus? utinam ibi ſit, ubi amores poſuiſſe nunquam te pœniteat. Nihil eſt, quod affectum tuum mereatur, præter DEUM; hunc ama, & fac quod vis. Amabat ſanè Aloyſius tam conſtanter, ut integras non rarò dies meditando Deo inhæreret, tantis interea conſolationibus diffluens, ut præ dulcedine lachrymis modum ponere neſciret. Quæ ratio erat, cur ſolitudinis amans, aut clauſus, aut inter lignorum ſtruem abſconditus delituerit, ne ſi quoquam prodiret, fleviſſe innoteſceret. Qui ei tum adhuc Adoleſcentulo ab obſequijs erant, per januæ rimam, quid conclavi clauſus ageret, ſæpius obſervantes, videbant Aloyſium, ante Crucifixi imaginem intentis in illam oculis procumbentem, & brachijs jam expanſis, jam in crucis normam ante pectus compoſitis, tantam lachrymarum vim profundere, ut illis non modò veſtes, quibus erat indutus, ſed & cubiculi pavimentum crebrò maderet, & ſingultus ac ſu-

ſpiria procul audirentur. Legem ſibi annis necdum 14. expletis ſtatuit, horam quotidie Deo per meditationem ſe uniendi; quam non clepſydræ fluxu, ſed charitatis in Deum impulſu ita metiebatur, ut ſi ſemihorâ, vel tribus quadrantibus elapſis, aliqua mentem diſtractio ſubiret, ſuperius omne tempus pro perdito ducens, aliam rurſus horam ordiretur: idque tam diu iterabat, donec unam aliquam horam ſine omni mentis evagatione Deo adhæſiſſet; unde factum, ut quaternas, & ampliùs horas huic ſacro conatui impenderet. O ſi noſtras hîc preces liceat ad cenſuram revocare, Parthenophile, quantùm diſtamus ab iſto! quot evagationibus mentis plena, quot pravis referta deſiderijs eſt oratio noſtra? inſpice preces tuas: etſi librum pervolvas totum, etſi corollæ Marianæ grana percurras omnia, nihil orâſti, pœnæ plus quàm prœmij relaturus, niſi collectâ in Deum mente id egeris. Diu meditari te non cogo, an id

id tibi expediat, aut quo instituenda sit modo, eum consule, quem in spiritualibus arbitrum habes: ille quod in rem tuam erit, edocebit. Putem tamen, si de pientioribus es, difficile tibi non futurum, per quadrantem de salute animæ, aut novissimis meditari; aut si hanc artem non calles, pij libelli lectioni paululum diutiùs cogitatione immorari, ut vel affectui tuo vaces, vel ad vitæ institutionem aliquid inde decerpas. His adjumentis excitatur amor DEI, his fovetur alimentis. Deum amanti nihil difficile.


Caput XV.


B. Aloysij erga Proximum Charitas.

ITa DEUS omnes Aloysij amores occupavit, ut propter DEUM proximos quóque sincerâ æquè, ac constanti charitate diligeret: nec ullam seu in spiritualibus, seu etiam temporalibus, quam quidem præstare

B. Aloysius obtentâ Superiorum veniâ cibos pauperibus ad Collegii fores distribuit.

Mit erlaübnüs deren obern theÿlet der S. Aloysius denen Armen offentlich die speissen aüss.





ſtare poſſet, operam ulli deeſſè pateretur. Puer adhuc infra ſeptennium, pauperum ſe moveri miſericordiâ, & ſi fortè eos vidiſſet, benignè ijs faciendi cupiditate duci, oſtendebat. Crevit hæc cum ætate virtus. Nihil illo ſuaviùs in loquendo, nihil comiùs in agendo. Eam non naturâ ſed virtute gratiam aſſecutus, ut nullum alloqueretur, vel adiret, quem non illicò ſibi devinciret. Fervidiorem quidem ſortitus naturam, facili ſe commoveri ſtomacho, & efferveſcere ipſe rigidus affectionum ſuarum cenſor obſervavit, egit tamen, ut ad hanc animi peſtem compeſcendam vires omnes adhiberet: donec Dei ope, & ſummâ animi ſui contentione, ſic eam funditùs oppreſſit, ut omni poſtmodùm iræ motu carere ſit viſus. Hinc plurimi cum eo in Religione verſati jurejurando teſtati ſunt, nullum in eo choleræ ſignum, nec minimum impatientiæ actum, aut ullam affectionis inordinatæ commotionem obſervatam eſ-

ſe. Juvenis adhuc Princeps eam vel famulorum habebat rationem, ut non imperia dare, ſed preces interponere videretur: quo jubendi modo ſervis ruborem excutiebat. Negabant enim illi, quidquam ab eo ſibi ſeveriùs demandatum, ut qui hac ferè verborum formâ uti audiebatur: *Niſi tibi moleſtum eſt, licet, hoc facias. Si tibi commodum eſt, hoc abs te velim. Amabo te, hoc mihi effectum da.* Quæ cùm diceret, tanta in eo erat ſuavitas, ut famulorum ſe miſericordiâ moveri oſtenderet. Religionem ingreſſus eâ cum omnibus egit obſervantiâ, ac ſi non cum ſocijs, ſed cum Superioribus; néque cum hominibus, ſed cum Angelis, & filijs Dei verſaretur, potiores in omnibus cuíque partes deferre conatus. In loquendo attentus maximè, ne quem offenderet; aliorum errata nunquam adducebat in medium; non contendere, nullâ in levioribus illis ſermonum prœlijs victoriæ cupiditate duci ſolebat.

E Tri-

E Tribus cum P. Piſcatore Româ Neapolim deſtinatis, cum Patre, qui ſanguinem ſpuebat, unus lecticâ vehendus erat; quæ commoditas cum Aloyſio offerretur, ut alterutri confratrum ea ſors contingeret, inſtanter egit, plus de aliorum, quàm ſua commoditate ſollicitus. Sociorum aliquem recens ad Theologica ſtudia evocatum ſummâ D. Thomæ carere obſervavit, ut eam proinde, quâ ipſe utebatur, ei dare poſſet à ſuperiore impetravit; nihil pulchriùs ratus, quàm ſi intima charitate & mutuo ſe juvandi ſtudio jungerentur illi, qui ejuſdem Religionis lege ſociati unum in ſpiritu Patrem agnoſcunt. Mantuæ in Collegio hoſpes, â Rectore ſermonem ad domeſticos habere juſſus, primum quidem verecundatus, quòd id munus ſolis Sacerdotibus, ijſque natu & auctoritate provectis congrueret, paruit tandem, & magnâ Divini ſpiritûs vi & fervore ad charitatem & unionem fraternam eos eſt cohortatus. Nec mores â ſermo-

ne discrepabant. Nulli unquam sociorum verbum dixit asperius; nullo ullius facto se offensum exhibuit; libens cujúsque sententiæ cedebat, mirâ facilitate menti suæ, ut alieno se judicio conformaret, imperabat. Quâ universali erga omnes charitate, licet reciprocum omnium amorem mereretur, usque adeò tamen omnem suimetipsius amorem extinxerat, ut, ne cujusquam animus, aut affectus ad se potissimùm inclinaretur, rogaret; nullius se amore dignum compellans: ne superiorum quidem peculiarem in se favorem, aut specialia charitatis officia sustinebat. Dolorem capiebat, quando sociorum aliquis eum præ cœteris diligere significaret. Cúmque dilexisset suos, ad mortem usque dilexit eos: sumpto enim Viatico socios omnes, qui morituro aderant; insigni amore amplexatus in osculo pacis salutavit. Nemo erat, qui lachrimas tenere, nemo qui ab ejus complexu divelli posset; nec enim di-

dimittitur absque dolore, quod pofſidetur cum amore. Quæ charitatis abundantia non domeſticis tantùm cancellis definiebatur, ad exteros pari ubertate, quaqua ratione poſſet, juvandos exundavit. Quia verò ſcholaſtico cum externis converſatio non patebat, ut ijs ſervire poſſet, ſaltem aliquam ſibi juventutis in ſeminario curam committi optabat.

Pauperum miſericordiâ tangebatur maximè: hinc ſolenne illi erat, binis hebdomadæ cujusvis diebus in culina ciborum reliquias, pauperum neceſſitati ſublevandæ, ſolerti curâ colligere, ac eas cum Superiorum facultate pauperibus ad fores Collegij operientibus piâ liberalitate elargiri. Indignus JESU Socij nomine vivit, qui ſibi ſoli vivit. Nemo dicat ſe amare Deum, niſi quod dicit, opere, id eſt amore proximi conteſtetur. Qui Socius JESU eſt, tranſeat benefaciendo omnibus; eſto in monte teſtamenti ſedeat, eſto linguis doceat

Angelorum, nisi charitatem habeat, nihil est.

Caput XVI.
B. Aloysij erga Infirmos Charitas.

LUes, quæ Romæ 1591. sæva grassabatur, publicum Aloysianæ charitati theatrum aperuit, quod priùsquam ingrederetur, assueverat domesticos inter parietes, impetratâ Superiorum veniâ, frequentiùs ægris confratribus servilem operam locare. Quo in officio eâ assiduitate & diligentiâ versabatur, ut in hoc uno nulli cedere velle se ostenderet: dum sine delectu omnes adire, solari alloquio, petita subministrare, & ubi ob capitis dolores Præsidum jussu à studijs vacabat, dies totos eorum obsequijs impendere gaudebat. Occasione domi sublatâ, infelicem Romanæ plebis lue laborantis statum miseratus, ad valetudinaria publica, ægris servitum eundi facultate multis

Lue Romæ grassante B. Aloys. ægris in valetudinario publico cum Socijs inservit.

Wehrendter Seühe bedienet der S. Aloysius zu Rohm in offentlichē spital die Khrankhē.

ti
op
ea
m
ru
n
da
an
lev
re,
des
dic
lab
ſim
bun
rep
ſcat
lis a
& a
jor i
Obſ
qui
bili
ſimè
eſſe
à tal

tis precibus obtentâ, evolavit; ibi opem primò ſpiritualem pijs, & pro ea temporis oportunitate ſalutaribus monitis, tum ad Chriſtianam dolorum tolerantiam, tum ad ultima morientium Sacramenta ritè obeunda diſponendo, adferebat: dein etiam in corporalibus ſervire, ægros levare, imbellium lectos componere, cibum afferre, ori ingerere, pedes abluere, pavimenta verrere, medicinas parare, vulnera extergere, labor illi ut continuus, ita gratiſſimus erat. Horrendum erat, moribundos homines valetudinarium perreptantes, ulceribus copioſo verme ſcatentibus fœdos, ſubinde in angulis aut è ſcalis exanimes prolapſos, & animam agentes intueri, at major in his Aloyſij charitas eminebat. Obſervatum quippe eſt, apud eos qui teterrimo aſpectu & intolerabili pœdore alios omnes à ſe longiſſimè arcerent, plurimùm verſatum eſſe beatum Adoleſcentem; adeò ut à talium lateribus avelli vix poſſet.

Nec solum manuum laborem desolatis illis commodare contentus, rebus insuper, in ea necessitate, faméque publica, domi angustis, victum pro ægris per urbis Romanæ compita corrogabat. Opportunè Principum aliquis, Aloysio in aula degenti olim notus, eo tempore negotiorum causâ apud Gregorium XV. Romæ agebat; hunc ille tum confusionis suæ, tum opis pro valetudinario impetrandæ spe, habitu pannoso & suspensâ ex humeris manticâ stipem petiturus accessit: quam impetratam in egenos eo affectu partitus est, ut etiam vitam ijs suam paratus esset immolare. Nec diu vota DEUS distulit, nam quinto Nonas Martij morbo tentatus in lectum se recepit. Pestilens in ægrorum obsequio contracta febris B. Juvenem paucas intra dies ad extremos vitæ fines adductura credebatur, nisi, qui sanis tot egregia virtutis præbuit documenta, ut paria etiam infirmis patientiæ daret exempla, ejus ægritudinem

B. Aloysius unius è Socijs animam in cælum ferri videt


Der S. Aloysius sicht eines auß der Societet verstorbenen seel gehn himmel aufsahren. 109



D
re
in
ta
en
no
ra
ac
U
fe
re
u
g
en

B

S
g
te
r
r
&
e



Deus protraxiſſet. Infirmus corpore ampliùs invaleſcebat ſpiritu, & infractis viribus erga infirmos charitas nova capiebat incrementa. Dum enim periculum peſtis Romæ imminere intellexiſſet, à Præpoſito Generali, qui ejus viſendi causâ ægrum acceſſerat, facultatem impetravit: Ut peſte afflatis, ſi convaleſceret, ſerviendi votum ſibi liceret emittere. Cui ſancto deſiderio immortuus pulchra charitatis victima cecidit, gloriâ tantæ virtutis etiamnum perennante.

Caput XVII.

B. Aloyſij Revelationes, & ſpiritus Propheticus.

SOlet Sanctorum virtutem Deus ſpecialibus ſupra ordinem naturæ gratijs & privilegijs remunerari, inter quæ meritò reponendæ veniunt revelationes è cœlo factæ, vi quarum mira de rebus futuris vaticinia, & ignotis oracula plurimi Sanctorum ediderunt. Inter quos B. etiam

Aloyſium numerare jure poſſumus. Mater ejus fratrem natu minorem, Franciſcum, clamantem aliquando inaudierat, metúque perculſa, ne quid ei ſiniſtrè accideret, verebatur; ſollicitam timorē ponere juſſit Aloyſius: *Ne dubita*, inquiens, *Domina Mater*, *quin Franciſco ad ſe tuendum ſatis ſit futurum animi, quin imò demitte in animum*, *quod dico*: *Franciſcus demum erit, qui familiam noſtram ſuſtentabit.* Vaticinium eventu firmatum fuiſſe nemo dubitabit, qui Rudolpho vitâ extruſo Franciſcum ſucceſſiſſe inaudijt; & quemnam ille ſe in Varijs, quæ familiam Caſtilionenſem diu vexavêre, tragædijs præſtiterit, intellexit. Præterea Franciſcus Turcius Aloyſij morum Præfectus, qui ut individuus propè actionum ejus dictorúmque arbiter fuit, ita plura in eo memoratu digna obſervavit, is Aloyſium, cùm adhuc in ſæculo teneretur, multa compluribus cilentibus ſuis vaticinatum fuiſſe teſtatur; quæ prorſus ita, ut

ut ille dixerat, evenerunt. Inter vaticinia & ilud reponendum venit, quòd infans adhuc, vixque rationis ex integro compos Matri, filiorum aliquem Religiosum fieri desideranti, curas ut poneret, votorum suorum compotem futuram prædixerit. Æger in eadem cum Aloysio domo decumbebat P. Corbinellus, quem ante se fatis cessurum prædixit: quod etiam vigesimo ante ejus obitum die mediâ intempestæ noctis horâ evenit. Fugisset omnino Aloysium, non modò cubiculo, sed etiam toto ambulacro semotum, de vita Patrem hunc nocte illâ periclitari, nisi speciali Dei privilegio id ei innotuisset: ita enim ipse nosocomo, quî noctem illam egisset? quærenti, gravem fuisse reposuit: *Tribus námque vicibus*, inquiebat, *P. Corbinellus magnis videndum se mihi præbuit pressus ærumnis, ac me primùm sic est affatus: jam frater tempus adest, quo me serio Deo commendes, ut patientiam viréſque animo subministrare dignetur, quibus*

tantis tàmque periculosis, quæ sustineo, malis superior evadam. Experrectus somnium putavi, mèque piè ipse coargui: Quin te quieti tradis, & nugas hasce missas facis. Vix oculos clauseram soporem captans, cùm Pater idem iteratò intuendum se offert, & vehementiùs quàm antea supplicat, ardentibus ut ipsum precibus adjuvem, eò quòd mali pondere premeretur, penè ut opprimeretur. Rursùm vigil meam denuò levitatem increpui, simúlque proposui, die exorto pœnitentiam à Superioribus petere, ad castigandam meam in Medici præceptis implendis negligentiam, qui jusserat somnum ut capesserem. Et ecce, nondum me ad capiendam quietem luminibus occlusis composueram, cùm Pater tertiùm cernitur hoc me sermone compellans. Jam tandem, frater Charissime, in extremo versor calamitosæ hujus vitæ punctulo; & momento Deum exora, transitum ut istum felicem esse mihi velit. Ita ille valetudinarij Præfecto, sed apertiùs dein, non modò exploratum

sibi

B. Aloysius amaram potionem, ut gustu mortificaret, tardè sorbillans sumit.

Der S. Aloysius genieſt zu ſeiner abtöt-tung ein ſehr häntiges tränckhlein gantz langſam.

m



ſibi fuit
rum et
ficavit.
ſcitant
confid
mora
reſpon
edoct
ſuapt
bus c
ſi à I
quid

S

F

mo
ctu
rin
gr
dò
ſe
m

ſibi fuiſſe, illum eſſe defunctum, verùm etiam in cælum perveniſſe, ſignificavit. Siquidem P. Bellarmino ſciſcitanti, quid de illius anima ſentiret? confidenter ſanè reſpondit: abſque mora purgatorium tranſijſſe. Quo reſponſo didicit Pater, divinitus id edoctum eſſe Aloyſium, nam cùm ſuapte naturâ in pronunciando de rebus dubijs parcus eſſet, nunquam niſi à Deo factus certior, rem tam liquidò affirmâſſet.

Caput XVIII.
Suprema B. Aloyſij ægritudo.

FRactis viribus, & corpore vi morbi proſtratus, ſemper tamen animo inconcuſſus ſtetit Aloyſius, & lectum ut patientiæ, humilitatis, plurimarúmque virtutum theatrum ingreſſus, ægritudinis moleſtias non modò læto hilaríque animo accipiebat, ſed & novos ipſe corpus affligendi modos inquirebat. Binis eadem ab

Archiatro præscripta potio amara illa quidem, & nauseæ ciendæ plurimùm obnoxia obtigerat : alter Aloysij contubernalis, fugiendæ nauseæ causâ suam ut quàm citissimè glutiret, operam dedit, adhibitis, quæ naturæ renitentiam vel avertere, vel sedare possent, condimentis ; Aloysius verò ut molestiam palato faceret, eam sine ullo digustûs aut displicentiæ signo perinde ac dulcissimum liquorem, ac optimum gulæ irritamentum sensim & cum sensu sorbillans exhausit, ut vel sic Christo felle potato gustum faceret. Inter medicinas, quæ ad ejus libitum afferebantur, religiosæ paupertatis memor deteriores semper, ac viliores eligebat. Longus, & vel ideo longè molestissimus eum morbus exercuit, quem febris in hecticam degenerans in plures menses protraxit. Nunquam tamen ille ullum abjecti animi signum vel gestu, vel verbo dare, nihil sibi unquam displicere ostendit : non personam, non ullum personæ ullius factum, aut

ver-

verbum, non cibum, non lectum, nec aliud quidquam querebatur; imò gratias pro omnibus composito semper animo, tanquam tantâ charitate indignus, reponebat. Medicis, imò & fratribus valetudinis suæ curatoribus ad nutum in omnibus obediens. Nullos nisi de Deo, de vita beata, sermones admisit, etiam cùm à Roboreo, & Scipione Gonzaga Cardinalibus visitaretur, quos illa juvenis Cœlestium tam gnari sapientia mirùm quantùm afficiebat. Unde cùm eos crebriùs Aloysij visendi causâ venientes P. Rector, ne se fatigarent, deprecaretur, suámque operam polliceretur, se eos de juvenis valetudine facturum certiores; negàrunt posse committere, quin venirent, quando ex ejus alloquio & aspectu uberem animarum fructum colligerent. Nonnunquam veste postulatâ collectis viribus, sensim è lecto ad mensam, in qua Crucifixi effigies stabat, adrepebat; illam amplexatus magnâ reverentiæ, ac pij sensus significatio-

ne exosculabatur; tum ad salutationes sanctarum, quæ ibi erant, imaginum procèdebat. Quid esset opus è lecto surgere? dicente valetudinario, séque ei Crucifixum, & imagines ad lectum apportaturum promittente, reposuit: *Sine me frater, hæ enim sunt meæ stationes.* Orationi miscebat lectionem, & huic rursus jungebat orationem. Gaudebat, si dilabentibus alijs sibi relictus liberius absque arbitris precibus & suspirijs vacare posset. Clausis námque foribus educebat se è lecto, interque hunc & parietem provolutus in genua precabatur, nec priùs, quàm strepitu alicujus advenientis observato, clàm se referebat in lectum; donec ex improviso à valetudinario extra lectum repertus, id imposterum facere prohibitus, ejus imperio acquievit. Cum animæ suæ præside sæpe de rebus, Deum & spiritum concernentibus, loquebatur. Quærebat ex eo, num putaret aliquos absque ulla in purgatorio mora statim à morte in cœlum recipi? cùm affir-

B. Aloysius totam ferè noctem in extasim raptus cœlum videt, et suæ mortis horam intelligit.

Der S. Aloysius ein fast gantze Nacht aüsser sich verzückt, sihet an den Himel, ündt wierdt gewahr seiner letzten lebens-stündt.

af
ex
g
N
R
t
p
ti
n
ti
n

S
re
vi
æ
A
fo
re
co
m

affirmaret ille, ac Aloyſium unum ex illis fore confidere ſe diceret, ingens ei moriendi deſiderium fecit. Nemo jam queratur ſe infirmitate in Religioſa vita impediri; plus ægritudo Aloyſij, quàm aliorum ſanitas prœmij meruit. Lectus ut patientiæ, ita plurimarum virtutum gymnaſium eſt. Ubíque aptus ſanctitati locus eſt, ubíque patet occaſio, modò voluntas occaſioni non deſit.

Caput. XIX.

B. Aloyſius Diem & horam mortis prænoſcit.

SAnus adhuc valensque Mediolani, paulò ampliùs anno priusquam abiret è vita, morabatur Beatus noſter, virtutibus jam cœlo maturior, quàm ætate; utpote quam inter mortales Angelicam egit, Angelorum conſortio citiùs perfruendo digniſſimum reddidit, cùm indicium à Deo accepit, brevi ſe meritâ pro bene geſtis mercede in cœlo potiturum. Dum enim

enim matutinæ orationis tempore totam in Deum mentem intendiſſet, hic eum inuſitatâ luce perfudit, in qua paucas, quibus victurus eſſet, Dies ſupereſſe manifeſtò cognovit, ſimúlque inuſitatis animum ſtimulis agi ſenſit, ut reſiduo, qui inſtaret, anno quàm poſſet perfectiſſimè, affectu à mortalium rerum amore divulſo, Deo ſoli ſervire, maximáque curâ omnigenæ virtutis ſtudio merita cumulare ſatageret. Quod ille oraculum præter P. Vincentium Brunnum & pauciſſimos, quibus Romam reverſus aperuit, accuratè celavit. Quo imminentis mortis nuntio tantum abeſt, ut territus ſit, ut incredibilem, quâ pectus circumfluebat, lætitiam tum vultu, tum moribus omnibus teſtaretur. Quin tanto ſe moriendi deſiderio accendi ſenſit, ut ſubvereri cœperit, ne modum non teneret, ob quod ſcrupulo tactus Bellarminum conſcientiæ ſuæ Moderatorem, num mortem optare liceret, conſuluit. Cúmque ab eodem amorem

rem mortis è cupiditate conjunctionis cum Deo profectum nihil noxæ habere, quin à pluribus vitæ sanctitate illustribus viris usurpatum esse, fuisset edoctus, toto se animo vitæ æternæ cogitationi tradidit. Cujus desiderium tacitâ priùs mente conceptum fotúmque, apertè tum prodidit, cum Tiberium Bondium, quem in obsequijs infirmorum socium habuerat, Lue contractâ piè animam agentem cerneret; tunc enim sanctâ motus invidiâ ita Sacerdotem aliquem allocutus est: *Quàm libenter meam cum Tiberij conditione commutarem, & si Deo placeret id mihi gratiæ facere, pro eo morerer.* Neque diu ejus preces exaudire DEUS distulit: quando & ipse brevi morbo correptus, spem proximam se Deo arctiùs conjungendi accepit. Socij, ut Aloysium fractâ valetudine lectum petere conspexerunt, Mediolanensis oraculi memores, supremum instare tempus rati, pro sua in eum charitate, conquisitis ad id omnis generis rationi-

bus

bus authores illi esse cœperunt, ut prorogari sibi à Deo vitam exoraret. Sic enim & partis jam in cœlo prœmijs ingentem cumulum accessurum, & eum plus proximorum saluti, atque imprimis Societati serviturum. At ille unum illud rationibus omnibus reponebat : *Meliùs est dissolvi.* Nonne miraris Parthenophile, quòd ita mortem anhelaverit Aloysius, quam tantopere solent alij formidare. Hìc inter Religiosi & sæcularis mortem disce discrimen : homini pacem habenti in substantia sua amara est mortis memoria, læta est illi, qui nulli rei affixus, plura sperat obtinenda, quàm deserat. Scelerum patratorum conscio fit mors terribilis, sed amabilis illi, qui vitâ secundùm DEI legem exactâ, cœlum expectat in mercedem. Expertus id est Aloysius, qui suprema in ægritudine, abductâ à sensibus mente, ad cœlestis beatitudinis contemplationem evectus est, in qua cœlestis Jerusalem gloriâ, quasi per rimam spectatâ, tanto

to ſenſu dulcedinis impletus eſt, ut cùm totam propè noctem in illo mentis exceſſu inter ſolatia duxiſſet, vix breviſſimæ morulæ, imò vix momenti unius ſpatio ampliùs durâſſe, affirmaverit. In qua extaſi, & dulcedinis cœleſtis deliquio vitæ ſuæ terminum diſtinctè noverat, poſt hanc viſionem & pluribus ſæpius dixit: ſe octavâ à feſto Theophoriæ die, diem ultimum victurum; & fidem dicti morte complevit. Quale morituro ſolatium, ſi cælum ſibi patere videat? patet illud ſemper innocentibus, ubicùnque eos mors occupet. Quantæ tu gratiæ duceres, ſi cœlum tibi reſeratum intelligeres, Parthenophile? verùm ecce ſolatium! in tua manu ſitum eſt, cœlum tibi vel claudere, vel aperire: nemo tibi cœlum, præter teipſum claudere poteſt: ſordes cave: nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum; peccato abſtine, & cœlum tibi ſemper patet.

* *
*

Caput XX.

Sancta B. Aloysij mors.

TAbe hecticâ tertium jam in mensem conflictatus, ubi mortis imminentis discrimen à P. Vincentio Bruno infirmorum Præfecto sibi annunciari accepisset Aloysius, lætus fratrem sibi adstantem ad recitandum secum hymnum Ambrosianum invitans, cum eo in grati hujus beneficij memoriam: TE DEUM LAUDAMUS recitavit. Tam parùm eo nuncio commotus, ut de sua mortè, perinde ac de migratione ex uno cubiculo in aliud, sine metu differeret. Quin imò ingens è mortis nuncio se gaudium accepisse & Matri, & tribus Patribus per litteras (in quibus nominis locò crucem suâ manu, sed alienâ ope subscripsit) valedicens, multis est testatus; & quoties ejus mentio ab invisentibus fiebat, hilari voce: *lætantes imus*, *lætantes imus*! cantillans reponebat. Et habet sanè quod

B. Aloysius lætus et canens nocte, quâ prædixit inter Sociorum preces piè obit.

Der S. *Aloysius* stürbt ganz freÿdenvoll ündt singendt eben selbe Nacht, wie er vorgesagt.

ue

quod
immu
perfe
hîc ſ
paſſi
nibu
Tal
dar
ꝺtu
nes
rie
Via
ut
ron
pu
ga
fa
R.
ſta
de
pr
fa
pi
ex
ſt
t

quod lætetur, quisquis vitam labis immunem, virtutum exercitio, & perfectionis studio plenam transegit: hîc sanè de rerum contemptu, de passionum victoria, de morificationibus, & vitæ austeritate lætabimur. Talis lætitia erat Aloysij, cùm recordaretur sibi olim à nonnullis prædictum: fore, ut corporis afflictationes, quas illi nimias putabant, morienti scrupulo forent; post sacrum Viaticum domûs Rectorem rogavit, ut præsenti Patrum, & Fratrum coronæ diceret: se in ea re nullo scrupulo tangi, quasi in corporis castigatione modum excessisset. Quin sanctæ huic austeritati instituturus, à R. P. Provinciali petijt, ut sibi potestas fieret ante agonem se flagellis cœdendi; cumque hic illi vires ad id præstandum non sufficere diceret, ut saltem ab alio quopiam fortiore à capite usque ad calcem flagellaretur, expetijt, idque valde seriò & constanter: verùm nec hìc auditus, ultimi tandem favoris locò, ut è lecto

in

in terram abijceretur, ſicque humi proſtratus mori poſſet, rogavit: iterum repulſam paſſus, Dei ſe voluntati conformavit. Ultimo, quod mortem anteceſſit, triduo, æneum Crucifixi ſimulacrum perpetuò pectori appreſſum, & Marianam corollam brachijs obvolutam habuit; quotidie ſeptem Pſalmos pœnitentiales aut legebat ipſe, aut prælegi ſibi ab alijs volebat. Omne quippe temporis momentum, quod ſibi Deus extremâ vitâ concederet, ita æſtimabat, nt non niſi in rerum pretioſarum tractatione expendi vellet. Defixis frequenter in Crucifixum oculis hærebat, in ejus aſpectu ſemper attentus & conſtans, una alterave nonnunquam lachrymulâ placidè delabente; ita ut ipſo aſpectu ſui eos, qui eum obſervabant, ad lachrymas permoveret. A latere, in quo jam triduo jacuerat, in aliud moveri petebat, ſed cùm id ei minùs conducere ſanitatis Arbitri judicarent, ut duræ Chriſti Crucis memor ejus lateris dolores ferre velit, mo-

monitus, ita acquievit, ut ne verbulum reponens, oculo in crucem conjecto, immotus manserit. Cùm aliqui præsentem jam octavum à Festo Corporis Christi diem, & ipsum, contra quàm prædixerat, adhuc vivere dicerent; necdum hodiernum diem totum abijsse respondit, quin eodem se moriturum iteratò confirmavit. Acceptóque Viatico & Lytanijs de SS. Sacramento recitatis, Patres ac Confratres inter mutuas utrínque lachrymas amplexatus, demissè omnibus valedixit. P. Provinciali quærenti: *Quid fit Frater Aloysi? imus*, inquit; *& quorsum?* petente Patre: *ad cœlum, ad cœlum* reposuit. Quibus dictis detractâ è capite vitta, eam ut sibi reponi pateretur, admonitus, oculis in Crucifixum, quem tenebat conversis: *Christus*, ait, *cùm moreretur, caput opertum non habuit.* Tum inter suavissima suspiria, & dulcissima JESU & MARIA nomina motis ad ultimum labijs, instar canere molientis, Crucifixo, Rosario, cereo bene-

benedicto instructus, inter Patrum preces, circa secundam & tertiam à nocte inchoata horam, Octavæ Corporis Christi in feriam sextam euntis nocte, quæ inter vigesimam & vigesimam primam intercedebat, tres & viginti annos, tres menses & undecim dies natus, morte Beatorum requievit. Sic moritur Justus. Placet cum Aloysio mori, Parthenophile? cum eodem vivere non displiceat. Nemo beatam sibi tutus mortem polliceri potest, nisi qui dignos tali mores præmiserit. Præpostera sanè mortalium consilia! epulari quotidie splendidè, bysso, & purpurâ indui, vivere in delicijs volunt cum Epulone, & cum Lazaro petunt mori. Qualis vita, mors est ita. Nullius Aloysium gravioris culpæ per omnem vitam commissæ reum egit conscientia; ut qui primam innocentiam, & intemeratum Virginitatis lilium tumulo secum intulit. Quantum hoc in agone solatium! vis tu paria? paribus medijs obtinebis: mors operum tuo-

rum

B. Aloyſij manus ante ſepulturam omnes, etiam Sacerdotes pio oſculo venerantur.

Der H. Aloyſius wierdt von allen, auch Prieſtern vor ſeiner begröbnus mit einem andechtigen handtkhüß verehret. Nc

rur
elig
fe.

I

or
ba
in
gr
pr
v
fu
c
n
v

rum ſit conſultrix, ea nunc age, vel elige, quæ in morte optares elegiſſe.

Caput XXI.

B. Aloyſij Sepultura.


Difficile eſt credere, quantùm intellectus B. Angeli è vita exceſſus omnium, qui eo in Collegio degebant, animos affecerit. Cubiculum, in quo ſitum erat ſacrum corpus, ingreſſi, ſubmiſſis omnes genibus vel pro ejus animæ incolumitate Deum, vel, quorum pars maxima erat, ipſum pro ſua venerabantur. Ad hæc certatim amore pietatis ejus calceamenta, induſium, interula, aliæque veſtes direptæ; ungues, capilli, & nonnihil etiam de ipſa carne præciſum; adeò quemvis pietas ad decerpendum aliquid è ſacris ejus reliquijs ſtimulabat, ut & calceamentorum corrigias, & calamos, quibus ſcribere erat ſolitus, diripuerint. Corpus dein in ſacello Collegij palàm propoſi-

positum ingentem populi, præsertim Adolescentum, frequentiam excivit, qui sacras ejus exuvias osculati, *sanctum, sanctum*, proclamabant. Sub horam diei penultimam ante solis occasum, funeri deducendo destinatam, omnes qui aderant, etiam Sacerdotes ex ordine, priusquam efferretur, manum ejus osculo venerati, publicam sanctitati ejus venerationem exhibuerunt. Præstito hoc officio, funus ejus longâ serie ad Collegij Ecclesiam deductum est: ubi tantus, Juventutis maximè, sacras reliquias venerandi, & si fieri possit aliquid in memoriam decerpendi causâ concursus fuit, ut cum ijs Patres obsistere non sufficerent, templi foribus obseratis populum arcere necesse fuerit. Nec sic tamen sacrum pignus ita custodiri potuit, quin capilli, ungues, vestes, extremi digiti, & duo auricularis digiti dexteræ manus articuli, præsecta fuerint. Interfuêre funeri Cardinales, Viri Principes, ac Dynastæ complures. Visum est, eum non

com-

communi loco, sed ob singularem vitæ sanctitatem, speciali quopiam loculo tumulare. Igitur in sacello Crucifixi, in cujus vulneribus vivus semper habitabat, etiam sepeliendus a-partem Evangelij in alterum conditorium positus est; septem in hoc annos quievit, post quos jussu P. Generalis Aquavivæ in alium ejusdem conditorij loculum, qui plateæ objicitur, sublimè conditus; hinc increbrescentibus deinde miraculis, levata ejus ossa, loculóque plumbeo inserta, sub gradu aræ S. Sebastiani collocata sunt. Sed nec hîc stabilem reperêre stationem; nam Francisci Gonzagæ Cæsarei tunc Romæ Oratoris rogatu, anno. 1605. inde crebris luminibus, & symphoniacis prosequentibus ad ejusdem Ecclesiæ sacellum, B. Virginis honori dicatum, Sacerdotum manibus deportata sunt: præterquam, quòd sacrum ejusdem caput in basilicam Nominis JESU translatum sit, non solùm privatæ nostrorum, sed & publicæ populi venera-


tioni feviturum, ubi hodiéque facra lipfana, pendentibus plurimis circum tabellis gratiarum adeptarum teftibus, & perpetuâ lampade illuftria requiefcunt, ac varijs à frequenti populo honoribus coluntur. Ita nempe corpus tot aufteritatibus, jejunijs & flagellis caftigatum in vita, honoratur poft mortem, majori poftea gloriâ coronandum in cœlis. Nunquid corpus tuum gloriofum aliquando refurgere optas, Parthenophile? nunc illud odio habe, nunc fubige, nunc caftiga, ejus nunc frœna cupiditates; certus, quantò illud rigidiùs hîc tractaveris, tantò gloriofius illud poft fata furrecturum.



B.ª Magdalena de Pazzis videt magnam in Cælo gloriam Beati Aloysij.

Der S. Magdal: de Pazzis wierdt die grosse glory des S. Aloysij in dem himmel offenbart.


tioni feviturum, ubi hodiéque facra lipfana, pendentibus plurimis circum tabellis gratiarum adeptarum teftibus, & perpetuâ lampade illuftria requiefcunt, ac varijs à frequenti populo honoribus coluntur. Ita nempe corpus tot aufteritatibus, jejunijs & flagellis caftigatum in vita, honoratur poft mortem, majori poftea gloriâ coronandum in cœlis. Nunquid corpus tuum gloriofum aliquando refurgere optas, Parthenophile? nunc illud odio habe, nunc fubige, nunc caftiga, ejus nunc frœna cupiditates; certus, quantò illud rigidiùs hîc tractaveris, tantò gloriofius illud poft fata furrecturum.




Ca-

B.ª Magdalena de Pazzis videt magnam in Cælo gloriam Beati Aloysij.

Der S. Magdal: de Pazzis wierdt die grosse glory der S. Aloysij in dem himmel offenbart. xxi





I
d
p
fi
fi
re
m
ge
de
fa
pa
m
Pa
gi
re
A
fu
P
m

Caput XXII.

Gloria Cæleſtis B. Aloyſij, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelata.

NOn omnis cum corpore tumulata Aloyſij gloria, quàm ut mundo Deus manifeſtam faceret, piam in plurium còrdibus erga Beatum hunc fiduciam excitavit; quâ freti & beneficia per hujus merita è cœlo impetrarent, & alios ad paria expetenda ſtimularent. Ita cultus & veneratio Angelici hujus Juvenis non Romam modò, aut Caſtilionem, ſed Italiam ipſam egreſſa, latè per orbem diffuſa paſſim increbreſcebat. Non leve huic momentum addidit D. Magdalenæ de Pazzis è Carmelitanarum familia Virgini Sanctitate conſpicuæ facta à Deo revelatio; cui anno. 1600. quarto Aprilis, in extaſim raptæ conceſſum fuit, in ſpiritu videre ingentem in Paradyſo B. noſtri Gloriam; cujus magnitudine attonita interpolatim in

hunc modum loqui, quem lineæ interjectæ, juxta moras extasi interpositas designant, cœpit: *Vix capio tantam cœlestibus communicari posse gloriam, quantam video in Aloysio. O quantam gloriam habet Aloysius filius Ignatij! nunquam id credidissem, nisi mihi meus monstrâsset JESUS. Videtur mihi quodamodo nulla major gloria esse in cœlo eâ, quam video habere Aloysium. Dico Aloysium esse Magnum Sanctum. Habemus in Ecclesia nostra Sanctos* (eos intelligebat, quorum ibi reliquiæ in lipsanothecis colebantur.) *Qui non sunt donati tantâ gloriâ. Vellem, ut possem ire per totum mundum, & dicere, quòd Aloysius, filius Ignatij, sit Magnus sanctus: & vellem, ut ejus gloriam omnibus possem ostendere, ut sic in eo glorificetur Deus. Tantam gloriam habet, quia internè operabatur. Quis unquam explicare poterit valorem & virtutem actuum internorum? nulla est comparatio extrinseci ad intrinsecum Aloysius fuit Martyr incognitus; qui enim*

enim te amat DEUS meus, adeò magnum te cognoſcit, & infinitè amabilem, ut grande martyrium ei ſit, videre, quòd non te amet, quantùm vellet amare, & quòd â creaturis non ameris, ſed offendaris. Ulrò etiam ſe Martyrem fecit Aloyſius. O quantùm amavit in terris? & ideò nunc fruitur Deo in cœlis per amoris plenitudinem. Sagittabat cor Verbi, quando erat mortalis, nunc cùm eſt in cœlis, ſagittæ iſtæ requieſcunt in ejus corde, quia nunc intelligit, & fruitur actibus amoris & unionis; quibus ſe exercebat. Vidit deinde, quòd Beatus iſte perquam ferventer oraverit pro eis, qui eum in terra ſpiritualiter juverant, unde dixit: *Ego quoque volo excogitare modum lucrandi animas, ut ſiqua earum Paradyſum obtineat, oret pro me; ſicut Aloyſius orat pro ijs, quos in mundo habuit Adjutores.* Quibus dictis & loqui, & Aloyſium videre deſijt. Ita Deus eos glorificat, qui ſe ultrò contempſerunt. Ignotus omnibus vivere optâſſet A-

loysius, sed cùm Natalium splendore illustratus latere non posset, illud egit, ut virtutes, ne in aliorum oculos, & notitiam venirent, occulere conaretur; Deo cordium & spiritûs interni Scrutatori notas esse malebat, quàm homini: nec tamen inglorium oblivioni tradi passus est suum Clientem Deus; ideò publico Ecclesiæ testimonio Beatum cœli voluit. Nam 1606. SS. D. N. Paulus V. miraculorum & sanctitatis ejus famâ multis argumentis probatâ permotus, eum Beatorum catalogo inseruit, & duodecim post annis, 31. Martij, ut in quibusdam Italiæ partibus officio divino, & Missæ Sacrificio coleretur, indulsit; qui cultus latiùs deindè propagatus, Gregorij XV. P. M. privilegio, communis omnibus Sacerdotibus factus, Beati gloriam totum latè per orbem plurimùm divulgavit.

* * * * † * * * *
* * * * * * * *

Ca-

B. Aloysius plurimis post mortem miraculis claret, Communis tam in Corporis, quàm animi necessitatibus Patronus.

Der S. Aloysius scheinet nach seinem Todt mit villen Wünderzeichen; ist ein allgemeiner Patron so wohl in des leibs als der seellen anligen.

B.

V

de
tia
gi
qu
va
D
qu
di
du
ne
ſti
fu
ut
po
qu
be
fu
ge
tul
dol

Caput XXIII.

B. Aloysius multis post mortem claret miraculis.

VIventium exemptus numero Aloysius non ita totus Clientes suos deseruit, quin copiosas ijsdem gratias invocatus etiamnum è cœlo largiatur. Non est animus, mira illa, quæ per Beati hujus invocationem varijs in locis operari dignatus est Deus, hic recensere; aliud illa, idque majus ab hoc, volumen sibi vendicarent. Dum Beatorum inserendus numero Apostolicæ sedi proponeretur, plura ducentis, eáque à testibus fide dignis collecta, in Processu relata sunt miracula. E quibus ut vel paucula delibemus: Pluribus post mortem spectabilis factus; inter quos Matrem morbo lethali, Philibertum Baronem calculo, præsentiâ suâ liberavit. Vix præterea morbi genus, cui medelam rogatus non attulisset. Quas in desperati partûs doloribus vitæ periculo exemit, qui-

næ numerantur matres. Oculorum cœcitatem Antonio Urbano Senensi juveni, surditiem Andreæ Stophino, apposita Beati imago sustulit. Renum cruciatibus, & calculo proximum vitæ discrimen intentante, præter binos alios, Joannem Justinianum S. J. exemit. Febre malignâ periculosè laborantibus quindenis ejus reliquiæ, & imago salutares fuerunt. Præter Phpilippum Romanum quaternos hecticâ tabe consumptos pristinis viribus & sanitati restituit. Quaternis itidem cum Julia Mariana è Diarrhæa decumbentibus opem tulit. In fatali cœteroquín casu Bartholomæi Cimæ filium anniculum, cum binis alijs, illæsum custodivit. Gravissimos pedum, cruris, tibiæ, coxendicum, femoris dolores & ulcera duodenis mitigavit. Gutturis tùmore jam suffocaturo quaternos levavit. Bernardini Bosij filiolum, in ignes luculentos prolapsum, flammis illæsum eripuit. E Nobilis Florentini corpore infernalis genius ejus reli-

liquiarum applicatione pulsus est. Antonij Gualatij conjugem, cardialgiâ jam ad extrema deductam, Andream Stolfinum ob copiosi sanguinis, è pectore saxis contuso, ejectionem fatis proximum; Petri Pilotti filiam nervorum contractione triginta mensium spatio afflictam: Catharinam Notarij Castilionensis conjugem, Ischiadicis doloribus gravissimè vexatam; Petrum Cataneum phrenetide & capitis erysipelate conflictantem; Baptistæ Fezzardi brachium luxatum: Paulum Segalam gravissimo dorsi cruciatu oppressum; Dominicum Dasenzenam articulari morbo ægrum; innumeros alios, varijs infirmitatibus languidos, reliquiarum, vel olei è lampade sumpti contactu, vel voto in sui honorem concepto juvit, & præter medicorum spem pristino vigori restituit B. Aloysius. Infinita alia varij generis beneficia hodiedum plurimi accipiunt, qui petunt, Castilione præsertim, ubi jam ante Annos 80. duodecim lampades

populi confluentis multitudine perpetuam in flammam animatæ, præter magnum cereorum & tædarum perpetuò vivarum numerum, ante ejus iconem ardebant; quid non tanto tempore pietas & beneficiorum multitudo sumpserit incrementi? certè jam tunc quadringenta ejus imaginem ornabant anathemata, totidem acceptarum ejus intercessione gratiarum monumenta. Nec minora his sunt ea, quæ in animorum morbis Beatus clientibus suis præstitit beneficia. Experti ea sunt plurimi, qui magnâ fiduciâ ejus opem implorârunt. Nec corporis, nec animæ pericula timeat, qui Aloysium nactus est protectorem. Vides insana mortalium studia Parthenophile: Patronos omni conatu sibi demereri laborant, carneo brachio & arundini innituntur. Satiùs tu cum tibi in Aloysio Patronum statues, quem in necessitatibus Auxiliatorem, in dubijs Consulem, in periculis Protectorem, omnia in omnibus habere possis. Pe-

tes

B. Aloysius Gonzaga de Statu vitæ
eligendo deliberantium Singularis
Patronus.

Der S. Aloysius Gonzaga ein Sonder-
bahrer Patron deren ſo von der wahl
ihres lebens-ſtandt ſich berathſchlagen.

tes
off
pit
vin
Inv

B

S
q
pl
in
n
ci
xi
u
ù
nc
it.
u
de
re
pi

tes, si pia cum fiducia te ei in clientem offeras: tantò magis rebus tuis propitium habiturus, quantò accuratiùs virtutum ejus, & Angelicæ imprimis Integritatis imitator esse laboraveris.

Caput XXIV.

B. Aloysius de statu vitæ deliberantium Patronus.


SI quisque artis alicujus assequendæ cupidus eum inquirit Magistrum, qui in ea, quam ipse anhelat, arte plurimùm excellit; jure meritissimo in eligendo vitæ statu Patronum sistimus Aloysium, qui hanc tam difficilem aliàs, tótque periculis obnoxiam artem è cœlo didicit, Magistrâ usus sanctissimâ Dei Genitrice. Nam ùt Aloysius ipse inter sua monita annotavit. *Quemadmodum in terris ita sunt omnes à natura comparati, ut ijs maximè bene cupiant, qui in eadem quâ ipsi arte, vivendique genere elaborant. Ductor exercitûs quispiam, qui apud Principem plurimùm*

possit, eos potissimùm in ejus gratia ponere, aut militari dignitate ornare nititur, qui se militiæ dediderint. Haud aliter Cælites, qui unius alicujus virtutis gloriâ præcipuè excelluerunt, ad eandem acquirendam iis cumprimis operam suam navare solent, qui plura ejus amore moliuntur. Ita ille. Quod scripsit in terris, utique sentit etiamnum in cœlis. Proinde cùm tam in electione status, quàm in vocationis executione singulares à DEO gratias olim acceperit, indubitatum planè est, quin ijs operam suam promptissimè locaturus sit, qui paribus nunc urgentur curis, sacrum inter saxúmque medij, nunc huc dubij nunc illuc feruntut, venti cujúsq; & cogitationis unde unde advolantis facti ludibrium. Experti sanè promptam in vitæ status eligendi deliberatione Beati hujus opem sunt complures, diu quò vela vertant ambigui. Nam ut alios taceam, Caspar Aicha præclaris naturæ gratiæque donis instructus juvenis, diu anceps varios in-

inter fluctus, quam salutis anchoram capesseret? num Sœculo, num Religioni animum adijceret, medius hærebat: qua in dubitatione B. Aloysium, in quem ob illibatam vitæ innocentiam affectu singulari ferebatur, supplex adit, utque dubiæ menti lumen è cœlo impetrare velit, deprecatur. Nec multò post unius è consodalibus sibi charioris, non pridem vitâ functi, animâ, flammis undíque horridâ, sibi apparente visâ, de salutis in sœculo periculis admonitus, ad religionem animum applicuit; ad quam admissus Aloysium sibi conspicuum, & pro hac resolutione ingentia & cœlestia pollicentem, habere fuit meritus. Non absimilem vel sola vitæ Beati hujus lectione gratiam consecutus est Franciscus Cajetanus Marchio, Juvenis, si ullus, præclarissimis à Deo donis instructus. Hic de vitæ statu dubius vitam Beati lectitans, dum ejus in eligendo vitæ statu praxim, motiva, auxilia, fervorem intelligit, adeò

ijs commotus eſt, ut ſtatim dubium omne ſeponeret, ſéque totum ad Beati noſtri imitationem conformare ſtatueret. Quod & fecit, eximijs dein virtutibus, magnáque vitæ ſanctitate, ut vita ejus conſcripta teſtatur, clarus. Ab eodem vocationis lumen accepiſſe creditur Carolus Pau, cui dum 1621. ſuprema Gandavi dies adeſſet, invocato dulciſſimè Patrono ſuo Aloyſio, quaſi ei pro vocationis gratia à Deo impetrata gratias agens, dicebat: *O quàm bona, quàm ſancta Mater Societas JESU! ad cœlum, ad cœlum.* Quibus dictis animam dedit, ejus in cœlo fruiturus conſortio, cujus in terris patrocinio mundi pericula fugere didicit. Ita moritur, qui bene eligit. Hîc Parthenophile ſalutis tuæ cardo vertitur; aliquem vitæ ſtatum iniri à te neceſſe eſt: ſed quem? hic Rhodus, hic ſaltus. Hic mille præcipitia, pericula mille. Hîc ſemel malè elegiſſe, eſt æternùm perijſſe. Si me audis, Author tibi ſim, ut vi-

viam tot erroribus obnoxiam, sine perito duce, non ineas. Habes Aloysium, qui, si ullus hac in via expertus, menti lumen affundet, errores deteget, solvet difficultates: & ut ille per Sanctissimam Virginem à DEO de vocatione sua etiam miraculo certior est redditus, ita suâ apud eandem intercessione tibi vocationis certitudinem, & in eadem constantiam piè rogatus impetrabit. Tenta, & fidem dictis eventus faciet.



Caput XXV.

B. Aloysius Castitatis Patronus.

INnter pia documenta, quæ spiritualis directionis causa suâ ipse manu annotaverat, hoc quoque scriptum reliquit B. Aloysius: *Cùm alicujus virtutis desiderio duceris, eum te Divorum implorare oportet, cui ejus virtutis eximia laus tribuitur. Sicut enim, qui munus aliquod militare à Principe terreno obtinere cogitat, citiùs illud ab eo obtinebit, si summo ejus copiarum Duce, illiúsque Tribunis, quàm si aulæ Præfecto, alijsvè Magistratibus domesticis sit usus: ita cùm virtutis alicujus studiosi sumus, ejus patrocinio fulciamur, qui in ea virtute excellens fuit.* Quod si verum est Beati hujus effatum, uti est verissimum, cùm omnigenarum virtutum exemplar, & ut Bellarminus Card. jure jurando asserit; *Obedientiæ, Humilitatis, Mortificationis, Abstinen-*

B. Aloysius omni per vitam sensu libidinis liber, Castitatis Patronus.

Der H. Aloysius von allen ünzimblichen begierlikheiten befreÿet, ist ein absonderlicher Patron der Keuschheit.

tem
pec
bio-
pro
virt
verè
bata
uſq
ſolu
illi
tia
ſen
me
nur
vix
ide
ren
per
plo
teſt
ſtita
mer
Alo
Bea
pulc
aut

nentiæ, Prudentiæ, Pietatis, Puritatis ſpeculum vixerit Aloyſius, procul dubio jam cœlo receptus ijs cumprimis propitius opem adferet, qui harum virtutum ſtudio accenduntur. Quia verò innocentiæ potiſſimùm & illibatæ Puritatis gloriâ adeò ſingulari, uſque ad miraculum floruit, ut non ſolum nihil unquam vel leviſſimum illi adverſum commiſerit, verùm etiam toto vitæ ſuæ tempore omni ſenſu, motúque libidinis caruerit, mentem inſuper ab omni cogitationum imaginúmque impuritate, dum vixerit, immunem conſervaverit, ideò peculiarem puritatis Protectorem fuiſſe ſunt experti, qui ejus in periculis, aut tentationibus opem implorârunt. Plurimi ſanè ſunt, qui teſtantur: cùm antea in vitium Caſtitati inimicum pernicioſo habitu demerſi eſſent, poſtquam Dei opem B. Aloyſij interceſſione poſtulârunt, & Beatum hunc Angelum, vel ejus ſepulchrum honorando, vel reliquias aut imaginem apud ſe geſtando, vel

in

in ejus honorem piè aliquid orando, vel aliquod mortificationis opus proponendo, sive in Patronum deligendo coluissent, illicò immundis facibus quasi restinctis nullâ unquam postea labe integritatem suam polluisse. Ex uno, de quo Ceparius, facilè de reliquis facies conjecturam: *In Transalpinis Regionibus homo pius, complures annos omnium tentationum libidinis securus transmiserat, quando DEI permissu tantâ vi ab impuro genio infestari cœpit, ut totum ei annum standum perpetuò fuerit in acie, & cum visis, imaginationibusque turpitudinis, cum Veneris stimulis & adhibitis sensui titillationibus dimicandum; neque interea solatium ullum dabatur, aut requies. Inediâ, flagris, cilicijs cœteráque victûs asperitate corpus macerabat, nihil promovebat. Sæpe à mensa, sæpe ex hominum congressibus se proripere, atque ad illachrymandum suæ infelicitati abdere cogebatur. Ibi prono in pulverem vultu procumbens, misericordem*

DEUM


DEUM precibus flectere insistebat. Denique postquam nihil non remedij, quod profuturum speraret, expertus esset, minimè tamen cupiditates accendi desinebant. Ad ultimum, cùm annum jam in hoc tam difficili conflictu ita duràsset, ut nullum usquam subsidium reperiret, subijt memoria sanctæ atque innocentis vitæ B. Aloysij, de qua cum alia, tum illud imprimis acceperat: singulari DEI beneficio corpus ab omni rei Venereæ impetu, mentem ab omni flagitij specie semper immunem habuisse. Eo igitur postremo perfugio uti constituit; eum obtestatur ex animo, ejus sacras reliquias, quas penes se habebat, sibi de cervice suspendit. Vix eam illæ contigerant, cum repente omnis ille cogitationum fœdarum furor in totum aufertur, status menti placidissimus redditur. Jamque duo jverant anni, dum hæc relata sunt, postquam ab omni illo cogitationum genere intactus vixit; tantum beneficium B. Aloysio se debere argenteo ad tumulum

ana-


anathemate est professus. Homines ſumus, Parthenophile, qui ſtat, videat, ne cadat. Nulla navis in mari tot naufragij periculis eſt expoſita; quot juvenis innocentia. Mille huic hoſtes externi, mille domeſtici: hinc prava ſociorum alloquia & exempla velut Sirenes alliciunt, inde gula & otium irritant; hinc dæmon, inde caro ſollicitat, urget ſanguis, ætas inclinat, trahunt lenocinia. Et quis tot inter incentiva non caleat, quis tot inter pericula non mergatur? Heu Parthenophile! hîc vel minimum hoſti concedere, eſt perijſſe. Ut hæc ſecurus naufragia evites, Aloyſium, id eſt, Angelum incarnatum Patronum habe: hic integritati tuæ fidelis aſſiſtet; erit in lubrico baculus, in naufragio portus, in tempeſtate cynoſura; hic te innocentem & Angelum ad Angelorum conſortium deducet. Ita deduxit Bartholomæum Puzzalum, qui ſpeciali amore Aloyſio addictus, cùm ejus patrocinio vi-

tam

tam servâsset innocuam, supremâ, quam egit, nocte Beatum hunc in suos amplexus è cœlo properantem conspiciens, collectis jam fracti corporis viribus, brachia veniens obviam expandit, sicque in charo dilecti sibi semper Aloysij sinu, dum hærente inter singultus voce tanto se honore indignissimum diceret, animam in illius devotissimæ modestiæ officijs occupatam exhalavit. Ita suos amat clientes Aloysius. Parem tibi, mihíque mortem opto, Parthenophile, quali si digni non sumus, Beata saltem nobis ut accidat, Beati Aloysij patrocinio nos utérque fulciamus.



IN-



INDEX.

Pars Prima.

Vita Sæcularis.

INDEX.

Pars Secunda.

Vita Religiosa.



F I N I S.



Anmerckung
Für den Buchbinder.

BEy Einlegung der Kupfer-blättlein muß das Titul-Bild deß Seeligen gleich anfangs / vnd hernach vor jedem Capitel eines gesetzt werden / in der Ordnung / wie sie von Bogen zu Bogen gedruckt seynd.



